AUTHOR:

SCHOLTE, ANDREAS

TITLE:

DISSERTATIO LITERARIA CONTINENS...

PLACE:

TRAIECTI AD RHENUM

DATE:

1873

Master Negative #

91-80447-8

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Scholte, Andreas,

Dissertatio literaria continens observationes criticas in Saturas D. Iunii Iuvenalis, quam... submittet Andreas Scholte... Traiecti ad Rhenum, apud Kemink, 1873.

114 p. $23\frac{1}{2}$ cm.

Thesis, Utrecht, 1873.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11X

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 2/11/92 INITIALS TM

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0 5.6 6.3

— Scholte —

Saturas I. J. Juvenalis

A. SCHOLTE.

DISSERTATIO LITERARIA

CONTINENS

OBSERVATIONES CRITICAS IN SATURAS D. IUNII IUVENALIS.

DISSERTATIO LITERARIA

CONTINENS

OBSERVATIONES CRITICAS IN SATURAS

D. IUNII IUVENALIS.

DISSERTATIO LITERARIA

CONTINENS

OBSERVATIONES CRITICAS IN SATURAS D. IUNII IUVENALIS,

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

IACOBI ISAACI DOEDES,

THEOL. DOCT. ET IN FACULTATE THEOL. PROF. ORD.,

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS

SUMMISQUE

IN PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM DISCIPLINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS

ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTET

ANDREAS SCHOLTE,

S. Min. Cand.

E PAGO DRUTEN.

Ad diem XVII m. Maii A. MDCCCLXXIII, Hora III—IV.

TRAIECTI AD RHENUM,

APUD KEMINK ET FILIUM.

MDCCCLXXIII.

FRATRIBUS CARISSIMIS,

A. SCHOLTE

V. D. M.

IN PAGO ZEGVELD

ET

A. D. I. SCHOLTE

V. D. M.

IN PAGO 'S GRAVESANDE.

PRAEFATIO.

Quum proximo anno aliquamdiu haesitarem de quonam argumento specimen aliquod literarium conscriberem ad summos in Literis consequendos honores, Vir Clarissimus VAN HERWERDEN *mihi suasit ut in Iuvenalis carminibus interpretandis vires periclitarer.*

Huic consilio eo lubentius obtemperavi quod et poeta nobilissimus mihi valde placebat, et materia uberrima videbatur.

Libellus autem, quem iam in lucem profero, angustioribus quam pro argumento temporis spatiis confectus, iustum commentarium non continet, sed modo de nonnullis locis agit, quos obscuritate aliqua vel corruptela laborare putem. Quam ob causam observationes, quae hic Benevolo Lectori offeruntur, critici maxime sunt argumenti.

Num carminibus egregii poetae, quorum textus adhuc plurimis locis foedis obfuscatur maculis, lucis aliquid attulerim, aequis harum rerum iudicibus diiudicandum permitto.

Qualecunque tamen hoc opusculum habebitur, hoc certe affirmare mihi liceat pro viribus me rem agere studuisse.

—

Ceterum lubens hanc occasionem arripio ut Vobis, Viri Clarissimi, quorum egregia institutione in hac Academia frui mihi contigit, palam grati animi sensum testificer.

Vos in primis, Viri Clarissimi, OPZOOMER, ROVERS *et* VAN HERWERDEN *maximas accipite gratias non modo pro doctrina humanitatis, qua me augere voluistis, sed etiam pro benevolentia et liberalitate, qua me sine intermissione prosecuti estis.*

Sit Vobis, Viri Praeclari, vita felix ac longaeva in huius Academiae Patriaeque decus!

Vobis denique, Commilitones, quos in Academico stadio habui amicos, quique fere omnes iam alibi ex studiis vestris percipitis fructus, iterum valedico; sitque Vestra mei memoria, ut mea Vestri! —

SATURA I.

Vs. 1.

Semper ego auditor tantum?

Bentleius [1]) statuit punctum finale post *tantum* ponendum esse. Sed vulgata ratio praestare videtur; nam interrogatio initio carminis efficacissima est, et admodum valet ad indignationem, qua fervet poeta, significandam.

Vs. 3.

Impune ergo mihi *recitaverit* ille togatas, hic elegos?

Heinrichius [2]) pro *recitaverit*, ex uno codice Havniensi in textum recipiendum esse duxit *cantaverit;* quo verbo poeta perversam et adfectatam vocis modulationem, qua recitantes huius temporis poetae uterentur, acriter notaverit. Sed non audiendus videtur Heinrichius. Nam mala ea vocis modulatio, cantui fere similis, tantum in oratoribus, in causidicis, in rhetoribus vituperabatur [3]), non vero, quod sciam, in poetis. Loci autem, ad quos provocat H., Cicer. de Orat. III, 23 et Martial. VII, Ep. 88, VIII, Ep. 61,

1) In nota ad Horat. I. Ep. 19, 37.
2) In Commentar. ad h. l. pag. 30.
3) Auctor Dialog. c. 9, Quintil. Inst. Or. XI, 3. § 57 et 58.

huc non pertinent. Nec magis favet Iuvenalis versus, Sat. X, 178 „et madidis cantat quae Sostratus alis." Ibi enim irrisio Sostrati, ignoti alicuius poetae, non inest in verbo *cantat*, sed in *madidis alis*, quibus inanis eius carminum sublimitas carpi videtur. Ceterum in miseriis urbis Romae, quae Sat. III describuntur, versu 9 memorantur etiam *recitantes*, non *cantantes*, poetae. Confer. etiam vs. 13, „ruptae *lectore* columnae."

Vs. 7—9.

Nota magis nulli domus est sua, quam mihi *lucus*
Martis et Aeoliis vicinum rupibus antrum
Vulcani.

Admodum infelix est Flavii coniectura, pro *lucus* legentis *luctus Martis*. Nam tum e voce praecedenti *domus*, tum ex subsequenti *antrum*, luculenter patet hic *regionis* vel *loci* notionem, non vero *perturbationis animi* desiderari. Aptissime Heinrich iam monuit, hic intellegendum esse lucum Martis, Ἄρεος ἄλσος, cujus mentio fit in Argonautarum fabula. Confer Schol. Paris. in Apollon. Rhod. II, 404.

Vs. 21.

Si vacat ac placidi rationem admittitis edam.

Si vacat: est solemnis formula, qua auditores invitari solebant, ut recitationibus interesse vellent; ut patet ex Horat. II, Ep. 2, 95, Auct. Dialog. c. 9, § 5, et inprimis e Plin. III. Ep. 18, § 4: „Cepi autem non mediocrem voluptatem, quod hunc librum cum amicis recitare voluissem, non per codicillos, non per libellos, sed si commodum esset, et si valde *vacaret* admoniti, (numquam porro aut valde raro vacat Romae, aut commodum est, audire

recitantem), foedissimis tempestatibus per biduum convenerant" [1]).

Vs. 26.

Cum *pars* Niliacae plebis etc.

Flavii coniectura, pro *pars* legi iubentis *faex*, quam probavit Burmannus [2]), nihil opus est; quia in verbis *Niliacae plebis* iam satis ignominiae ac contumeliae inest. Praeterea Sat. VIII, 48 legitur: „vulgi *pars* ultima nostri."

Vs. 55—57.

Cum leno accipiat moechi bona, si capiendi
ius nullum uxori, doctus spectare lacunar,
doctus et ad calicem vigilanti stertere naso,

Si capiendi j. n. u.: id est: „si uxori non licet adire adulteri hereditatem, ipse leno maritus eam accipit." Ut horum verborum sensum recte intellegamus, alius Iuvenalis locus nobis est consulendus, qui Sat. IX, 82 invenitur. Ibi adulter maritum sic alloquens inducitur:

Nullum ergo meritum est, ingrate ac perfide, nullum
quod tibi filiolus vel filia nascitur ex me?
tollis enim et libris actorum spargere gaudes
argumenta viri. Foribus suspende coronas,
iam pater es, dedimus quod famae opponere possis,
Iura parentis habes, propter me scriberis heres,
legatum omne capis nec non et dulce caducum;
commoda praeterea iungentur multa caducis,
si numerum, si *tres* implevero.

1) De Recitationibus apud Romanos confer. Friedländer in Opere, Darstellungen aus der Sittengeschichte Roms etc. t. III. pag. 316 sqq.
2) Burmann, Anthol. Latin. I. pag. 744.

Quum igitur ex his verbis, quibus ad legem Iuliam de Marit. Ordin. et legem Papiam Poppaeam respicitur, manifesto pateat, marito vel solitario ius hereditatis adeundae fuisse, quumque notum sit uxorem eodem iure caruisse, nisi ingenua tres, vel libertina quatuor liberos haberet; sequitur ut coniugibus, de quibus hic sermo est, liberi quidem fuerint, (alioquin enim neuter eorum hereditatem adire potuerat), non vero ut iis tres vel quatuor liberi fuerint; nam ita, procul dubio, non ad maritum hereditas delata esset, sed uxori eius, utpote adulteri amicae, ea contigisset [1]).

Vs. 58.

Cum fas esse putet curam *sperare* cohortis.

Rectissime Rupertius, Jahn. et Ribbeck. retinuerunt vulgatam lectionem *sperare*, pro qua Heinrich., e duobus vel tribus codicibus, substitutum voluit *spectare*. Sed *sperare* recte se habet, et de *spe promotionis* est explicandum [2]). Lectio autem *spectare* e versu 56 orta esse videtur.

Vs. 85—86.

Quidquid agunt homines, votum timor ira voluptas
gaudia discursus nostri farrago libelli est.

Ambo versiculi interpolationis suspicionem mihi movent. Primum enim admodum frigent, nec satis recte cum praecedentibus cohaerent. Tum non conveniunt cum proposito poetae, qui non, ut historicus universe de toto genere humano eiusque studiis, sed tantum de Romanis atque sui ipsius aevi flagitiis acturus sit. Denique prorsus inepte

1) Conferatur Rein., Das römische Privatrecht etc. 212 sqq.

2) Conf. Friedländ., ll. t. I. pag. 478, spes.: Aussicht auf Beförderung; Mommsen, bei Renier Melanges, d'Epigr. pag. 238.

libelli mentio inicitur; nam poeta nunc primum consilium capit poeseos tractandae; tantum abest ut jam aliquod poema in lucem ediderit: Confer. vs. 170 (*experiar*).

Putaverim igitur hos versus ab aliquo grammatico esse insertos, qui intempestive definitionem quandam Saturicae poeseos dare vellet [1]).

Omissis autem his versibus et mutato *et quando* (vs. 87) in *ecquando*, omnia arctissime cohaerebunt, si legimus:

Ex quo Deucalion nimbis tollentibus aequor
navigio montem ascendit sortesque poposcit,
paulatimque anima caluerunt mollia saxa,
et maribus nudas ostendit Pyrra puellas,
ecquando uberior vitiorum copia?

Ceterum conferendus est Sat. XV. versus 30.

Vs. 95—96.

Nunc sportula primo
limine parva *sedet* turbae rapienda togatae.

Sedet: Hoc verbum in mendo iacere, certissimum est. Nescio an legendum sit *datur*. At quum hoc parum poetice dicatur, nec facile a scribis librariis corrumpi potuerit, fortasse melius legeretur *crepat* i. e. *sonat*, nempe sportula i. e. quadrantes (vs. 118, 121 et Martial. V. Ep. 20, XII. Ep. 36); ut inanis ostentatio istorum divitum, cum maxima avaritia coniuncta, vituperaretur.

1) Confer. Diomed. Lib. III. p. 483, coll. Putsch: Satira dicta sive a *Satyris*, quod similiter in hoc carmine ridiculae res pudendaeque dicuntur, quae velut a Satyris proferuntur et fiunt; sive a *satura lance*, quae referta variis multisque primitiis sacris Cereris inferebatur; vel a copia et saturitate rei satura vocabatur; cuius generis lancium et Virgil. in Georg. II, 194 et 394 meminit. Alii dictum putant a *lege satura*, quae uno rogatu multa simul comprehendat, ut scilicet et satura carmina multa simul et poemata comprehenduntur.

Quum igitur ex his verbis, quibus ad legem Iuliam de Marit. Ordin. et legem Papiam Poppaeam respicitur, manifesto pateat, marito vel solitario ius hereditatis adeundae fuisse, quumque notum sit uxorem eodem iure caruisse, nisi ingenua tres, vel libertina quatuor liberos haberet; sequitur ut coniugibus, de quibus hic sermo est, liberi quidem fuerint, (alioquin enim neuter eorum hereditatem adire potuerat), non vero ut iis tres vel quatuor liberi fuerint; nam ita, procul dubio, non ad maritum hereditas delata esset, sed uxori eius, utpote adulteri amicae, ea contigisset [1]).

Vs. 58.

Cum fas esse putet curam *sperare* cohortis.

Rectissime Rupertius, Jahn. et Ribbeck. retinuerunt vulgatam lectionem *sperare*, pro qua Heinrich., e duobus vel tribus codicibus, substitutum voluit *spectare*. Sed *sperare* recte se habet, et de *spe promotionis* est explicandum [2]). Lectio autem *spectare* e versu 56 orta esse videtur.

Vs. 85—86.

Quidquid agunt homines, votum timor ira voluptas
gaudia discursus nostri farrago libelli est.

Ambo versiculi interpolationis suspicionem mihi movent. Primum enim admodum frigent, nec satis recte cum praecedentibus cohaerent. Tum non conveniunt cum proposito poetae, qui non, ut historicus universe de toto genere humano eiusque studiis, sed tantum de Romanis atque sui ipsius aevi flagitiis acturus sit. Denique prorsus inepte

1) Conferatur Rein., Das römische Privatrecht etc. 212 sqq.

2) Conf. Friedländ., ll. t. I. pag. 478, spes.: Aussicht auf Befördernng; Mommsen, bei Renier Melanges, d'Epigr. pag. 238.

libelli mentio inicitur; nam poeta nunc primum consilium capit poeseos tractandae; tantum abest ut jam aliquod poema in lucem ediderit: Confer. vs. 170 (*experiar*).

Putaverim igitur hos versus ab aliquo grammatico esse insertos, qui intempestive definitionem quandam Saturicae poeseos dare vellet [1]).

Omissis autem his versibus et mutato *et quando* (vs. 87) in *ecquando*, omnia arctissime cohaerebunt, si legimus:

Ex quo Deucalion nimbis tollentibus aequor
navigio montem ascendit sortesque poposcit,
paulatimque anima caluerunt mollia saxa,
et maribus nudas ostendit Pyrra puellas,
ecquando uberior vitiorum copia?

Ceterum conferendus est Sat. XV. versus 30.

Vs. 95—96.

Nunc sportula primo
limine parva *sedet* turbae rapienda togatae.

Sedet: Hoc verbum in mendo iacere, certissimum est. Nescio an legendum sit *datur*. At quum hoc parum poetice dicatur, nec facile a scribis librariis corrumpi potuerit, fortasse melius legeretur *crepat* i. e. *sonat*, nempe sportula i. e. quadrantes (vs. 118, 121 et Martial. V. Ep. 20, XII. Ep. 36); ut inanis ostentatio istorum divitum, cum maxima avaritia coniuncta, vituperaretur.

1) Confer. Diomed. Lib. III. p. 483, coll. Putsch: Satira dicta sive a *Satyris*, quod similiter in hoc carmine ridiculae res pudendaeque dicuntur, quae velut a Satyris proferuutur et fiunt; sive a *satura lance*, quae referta variis multisque primitiis sacris Cereris inferebatur; vel a copia et saturitate rei satura vocabatur; cuius generis lancium et Virgil. in Georg. II, 194 et 394 meminit. Alii dictum putant a *lege satura*, quae uno rogatu multa simul comprehendat, ut scilicet et satura carmina multa simul et poemata comprehenduntur.

Vs. 106—106.

Quid confert purpura maior
optandum, si Laurenti custodit in agro
conductas Corvinus oves? ego possideo plus
Pallante et Licinis.

Interrogandi signum ponendum est post *oves*, non post *Licinis*.

Ex scholiastae annotatione efficias, eum suo in codice legisse non *conductas* sed *conductus:* „Habet enim haec: quid praestat nobilitas, si *mercenarius alienus* nobilis est et pauper?" Sed vulgata lectio non est sollicitanda, nam voci *conductas* opponitur verbum *possideo*, i. e. possessor sum. Unde simul apparet, Heinrichium parum recte vertisse: bald *werde* ich besitzen. Nam de praesenti re agitur.

Vs. 135—136.

Optima silvarum interea pelagique *vorabit*
rex horum, vacuique toris tantum ipse iacebit.

Vorabit: Heinr. explicat: „vorare solet." Sed minus recte; ut patet ex adverbio temporali *interea.* Sensus enim est: „interea dum clientes exspectant, et tandem exspectando lassi abeunt, vota deponunt, caulem et ignem emunt, rex horum largiter coenabit."

Vs. 137—138.

Nam de tot pulchris et latis orbibus et tam
antiquis una comedunt patrimonia mensa.

Ribbeckio [1]) assentior hos versus, ut spurios, esse delendos. Primum enim filum orationis abrumpunt; nam verba „nullus jam parasitus erit" (vs. 139), arctissime cum versu

1) Der Echte und Unechte Juv. pag. 116.

136, cui opponuntur, sunt copulanda. Tum inepte hic conjunguntur *orbes* et *mensa;* quibus vocibus idem significari, vel ex uno Tertulliani loco patet: „adigo cauterem ambitioni, qua M. Tullius quingentis millibus nummum *orbem* citri emit; qua bis tantum Asinius Gallus pro mensa ejusdem Mauritaniae numerat. Hem! quantis facultatibus aestimavere ligneas maculas" [1]).

Tandem ista adiectivorum accumulatio, Iuvenali insolita, bene convenire videtur grammatico, qui ita verborum vim augeri putabat.

Vs. 148.

Eadem *facient cupientque* minores.

Iure sic legunt Jahn. et Ribbeck., pro vulgata lectione, quae inverso ordine habet: „cupient facientque." Sensus enim est: „posteri non tantum non factis, sed ne cupiditate quidem, ulterius tendent."

SATURA II.

Vs. 4—8.

Indocti primum, quamquam plena omnia gypso
Chrysippi invenias; nam perfectissimus horum est,
si quis Aristotelen *similem* vel Pittacon emit,
et jubet archetypos *pluteum* servare Cleanthas.

Minus recte H. Valesius pro *similem* conjecit legendum *Simiam;* nam hoc nomen in Philosophis non ita celebratum erat.

Nec melius idem vir doctus, cui Rupertius in Excursu ad h. l. adstipulari videtur, pro *pluteum* legi iussit *puteum.*

1) Tertull. de Pallio, cap. 5.

Cui coniecturae primum obstat pluralis numerus (*Cleanthas*), quo *genus* philosophorum significatur; tum hoc quoque obstat, quod hic de nobilissimis philosophiae auctoribus sermo est, non vero de tirone vel discipulo, qualis Cleanthes eo tempore erat, quo ad victum quotidianum quaerendum aquam hausisse narratur. Tandem quam incommode dicatur „*servare puteum*", vix monitu opus est.

Vulgata lectio sana videtur; nam *pluteum* satis accurate respondet verbis (vs. 4) „plena omnia."

Vs. 16—17.

Hunc ego fatis
inputo, qui *vultu* morbum incessuque fatetur.

Non est, quod cum H. Valesio pro *vultu* requiras *cultu;* nam *vultus* et *incessus* coniungi solent, ubi de indole et moribus hominum cognoscendis agitur.

Huc pertinet Petronii locus cap. 126: „Nec auguria novi, nec mathematicorum coelum curare volo: ex *vultibus* tamen hominum mores colligo, et quum spatiantem te vidi, quid cogites sentio." Conferas etiam Cicer. de Offic. I. c. 29 et c. 35, de Fin. Bon. et Mal. II. c. 24, Senec. de Ira, l. I. c. 1. § 7. — *Fatetur* i. e. declarat, prodit, significat, Sat. X, 172; Sat. XV, 132.

Vs. 29—31,

Qualis erat nuper tragico pollutus adulter
concubitu, qui tunc leges *revocabat* amaras
omnibus etc.

Häckermannus [1]) pro *revocabat* mavult *revocarat*, quod plusq. perf. maiorem vim habeat quam imperfectum. At

1) In Opusculo der Pithoean. Codex pag. 4.

secus esse, hoc certe loco, statim intellexeris, si attenderis ad adverbium temporis *tunc*. Sensus enim est: „eo ipso tempore, quo Domitianus leges illas amaras revocabat, i. e. revocare studebat, ipse tragicus adulter erat."

Vs. 34—35.

Nonne igitur iure ac merito vitia ultima fictos
contemnunt Scauros et castigata remordent?

Scriverius coniecit: „*victos condemnant.*" Sed haec coniectura nihil habet, quo se magnopere commendet, ac parum poetica est. Si quid mutandum esset, legerem potius *contemerant;* quo verbo, satis raro, utitur Martialis, sive alius auctor est, in Libro Spectac. Ep. X:

Laeserat ingrato leo perfidus ore magistrum,
ausus tam notas *contemerare* manus.

Contemerandi autem notionem, satis bene contextui convenire, negari non potest. Nam et ex voce *vitia*, quae praecedit, et e verbis *castigata remordent*, quae sequuntur, manifesto apparet, poetae menti obversatam esse *canem rabiosam*. Notum autem est canem, ut apud Iudaeos impuritatis, sic apud Graecos et Romanos summae impudentiae esse symbolum. Inde e. c. apud Lactantium [1]) legitur: „canino modo vivere, ut remordeas lacessitus." Sed quamvis, hoc verbo recepto, poeta in eodem simili maneret, tamen, quia ita anticlimax oriretur, nihil mutare ausim.

Vs. 36—38.

Non tulit *ex illis* torvum Laronia quendam
clamantem totiens „ubi nunc lex Iulia? dormis?"
Adque ita subridens etc.

1) Institut. VI, 18 § 26.

Ex illis: Haec verba prorsus abundant ac languent. Nihil enim opus est affirmare, Laroniam *ex illis ultimis vitiis* (vs. 34) esse; quod sponte sua inde abunde apparet, quod Laronia in publicum prodit, quod virorum coetibus se immiscet, atque cum Stoicidis adeo iurgiis contendit. Fortasse non male pro *ex illis* conicias *exilis;* ut tenuis et exili corpore ac voce muliercula, Stoicidae torvum clamanti opponatur. Eoque magis sic legerim, quoniam impudentia Laroniae aliqua saltem festivitate mitigari ac leniri videtur. *Subridens* (vs. 38) enim gravem reprehensorem alloquitur.

Vs. 44—47.

Respice primum
et scrutare viros. Faciunt *hi plura*, sed illos
defendit *numerus* iunctaeque umbone phalanges:
magna inter molles concordia.

Hi plura: v. Herwerdenus vir clar. emendat *peiora.* Quam coniecturam verissimam habeo; nam *hi plura* admodum tenuiter dicitur. Infra, Sat. XIV, 57, eadem locutio occurrit: „facias peiora." Sat. VI, 134 „faciunt graviora."

Sed ne sic quidem locum persanatum putaverim. Vox enim *numerus*, ni omnia me fallunt, corruptela affecta est. Nam defensionis vis et efficacitas, cujus hic sermo est, non adeo in *numero* posita est, sed ut sequens versus docet, in *magna* inter molles *concordia.* Quanta ista concordia sit, quantasque vires ista unanimitas mollibus viris afferat, a poeta efficacissime describitur imagine e re militari petita. *Iunctae umbone phalanges* istos defendunt, atque ab omni hostili aggressione tutos praestant. Ut igitur praecedentia bene respondeant sequentibus, conicio pro voce *numerus* legendum esse *cuneus.* Ita poeta in eadem manebit imagine.

„*Cuneus* autem, ut Vegetii verbis utar (Lib. III. c. 19), est multitudo peditum, quae primo augustior, deinde latior procedit et adversariorum ordines rumpit."

Eadem vox restituenda videtur Martiali, cujus scitum Epigramma (Lib. III. E. 46) sic sonat:

Exigis a nobis operam sine fine togatam:
non eo, libertum sed tibi mitto meum.
non est, inquis, idem: multo plus esse probabo:
vix ego lecticam subsequor: ille feret.
in turbam incideris: *cunctos* umbone repellet:
invalidum est nobis ingenuumque latus.

Si pro *cunctos*, propter sequentem vocem, scripseris *cuneos*, omnia, ni fallor, sana erunt.

Vs. 70.

„Sed Iulius ardet,"
„Aestuo," *Nudus* agas, minus est insania turpis,

Nudus: Non cum Heineckio explicandum de *tunicato*, sed proprio sensu accipiendum est de eo, qui, omnibus omnino vestimentis depositis, in publicum prodit. Quod *insani* est. Sat. XIV, 287:

Parcat tunicis licet atque lacernis,
curatoris eget, qui navem mercibus implet
ad summum latus, et tabula distinguitur unda.

Ubi scholiasta annotavit: quamvis vestem non conscindit, tamen insanit."

Vs. 104—108.

Nimirum summi ducis est occidere Galbam
et *curare* cutem, summi constantia civis
Bebriaci campo *spolium* affectare Palati
et pressum in faciem digitis extendere panem.

Curare cutem: Proprie dicuntur ii, qui genio indulgent et lautiore coena fruuntur; ut patet ex his Horatii locis: Lib. I. Ep. 4, 15:

„Me pinguem et nitidum bene curata cute vises."

Id. Lib. I. Ep. 2, 20:

„Alcinoique
in cute curanda plus aequo operata iuventus."

Et II. Sat. V, 38: „pelliculam curare."

Quum autem nostro loco non de lautiore vita agatur, sed de nimiis munditiis, quas tam studiose atque muliebriter sibi quaereret Otho, pro *curare*, opinor, aliquanto aptius scriberetur *fucare* i. e. fuco illinere genas. Praeterea *fucare* multo melius responderet iis, quae versu 107 leguntur: „pressum in faciem digitis extendere panem." — Hysteron proteron autem, quod inest in verbis: „fucare cutem et panem extendere in faciem," facile excusatur tum eo, quod τὸ *fucare* in illo munditiarum studio primariam continet notionem, tum eo, quod hic non iusta et absoluta ornatio describitur, sed tantum specimina afferuntur, unde summa Othonis mollitia appareat. Illud prothysteron Ribbeckium certe non retinuit quominus in Sat. VI, v. 471 pro *mutatis* substitueret *fucatis.*

Ceterum huc conferendus est locus Tertull. de Pallio, c. 4, ubi Achilles, iam adolescens, sed virgineo habitu adhuc indutus, sic describitur: „sustinet stolam fundere, comam struere, cutem fingere, speculum consulere, collum demulcere, aurem quoque foratu effeminatus."

Spolium affectare Palati: Mire dictum profecto! Conieceram olim pro spolium *portam;* sed jam nullus dubito quin veram poetae manum restituerit v. Herwerden vir. clar. legi iubens *solium.* Notio enim verbi *affectare* et loci contextus huic coniecturae favere videntur. Nam *affectare* inprimis is dicitur, qui magno studio et summa virium contentione, aliquid eximii et magnifici sibi acquirere studet. Inde fit ut saepius construatur cum *regno*, *regio*, *nomine tyrannide*, *militum studiis*, *societatibus*, *fama*, id genus aliis: confer. Ovid. Metam. I, 152; Liv. I, 46 et 50; Sueton. in vit. Caes. 79; Tacit. Agric. 7. Histor. I, c. 23 (de Othone): „studia militum jam pridem spe successionis aut paratu facinoris affectaverat."

Solium Palati ornatius dicitur pro *regno* vel *imperio.* Poeta enim hoc agere videtur ut, exquisito verborum delectu, summam Othonis audaciam ac fortitudinem quandam ante oculos ponat.

Vitiosa lectio *spolium* facillime oriri potuit e versu 100, ubi idem vocabulum occurrit. — Mendum eiusdem generis est Sat. I, 58 *spectare* pro *sperare.*

Vs. 127—131.

Unde nefas tantum Latiis pastoribus? unde
haec tetigit, Gradive, tuos urtica nepotes?
traditur ecce viro clarus genere atque opibus vir:
nec galeam quassas, *nec terram* cuspide pulsas,
nec quereris patri?

Nec terram: Jam diu interpretes observarunt vocem *terram*, quae in omnibus codicibus reperiri videtur, mendosam esse. Mars enim non commode dicitur *terram pulsare*, et multo minus *cuspide* hoc facere. Utrumque egregie demonstravit Heinrichius in Comment. ad h. l. Sed quam feliciter H. sedem vitii exploravit, tam infeliciter sanatio ei successisse videtur. Affirmat scilicet confidenter, pro *terram* legendum esse *gerram*, et sic locum esse persanatum [1]).

1) l. l. pag. 116: „Durch diese Verbesserung ist nun die Stelle vollkommen in Ordnung gebracht."

Verum Heinrichius non salutare attulit medicamentum. Nam ista vox *gerra* nihili est. In Graeca quidem lingua exstat *γέῤῥον*, non vero *γεῤῥα* in singulari; in Latina autem lingua pluralis quidem forma *gerrae* occurrit, sed singularis *gerra* deest.

Nec magis se commendat lectio *tempora*, quam Lipsius testatur se in quodam codice vidisse. Haec enim vox ab hoc loco prorsus aliena est, et absurdum praebet sensum.

Superest igitur Plathneri conjectura: *parmam;* quam Slothouwerus [1]) sibi defendendam sumsit. Haec coniectura, quod ad grammaticam attinet, sine ullo vitio est, et quod ad contextum aptissima. Sed vel sic tamen, mihi quidem non admittenda videtur, quum èt sono èt literarum ductibus nimis a vulgari lectione deflectat. Nec facile dixeris, qui fieri potuerit, ut vox tam nota atque a contextu tam flagitata a scribis librariis corrumperetur. Quare leniore medicina opus esse videtur; quam repperisse mihi videor, pro vocabulis *nec terram* legens: *nec cetram.* Qam facile autem haec vox in vulgatam lectionem abire potuerit, unicuique statim in oculos incurrit. Eoque facilius corruptela explicabitur, si statuere licet *terram* in codicibus vulgo per compendium exaratum fuisse, in hunc modum: *tram* vel *trram* [2]); ut igitur, priore syllaba vocis *cetram* absorpta a literis particulae praecedentis *nec*, sponte suâ vitiosa lectio *terram* exstitisse videatur.

Verum non tantum forma huius vocis, multo proprius quam *parmam*, ad vulgatam lectionem accedit, sed etiam significatio, si quid iudico, aliquanto aptior est, et majorem habet vim.

Cetra enim est scutum loreum [3]), quo barbari populi,

---

1) In Act. Societat. Rhen. Traject. III. pag. 191 sqq.
2) J. van Gigch, Apparat. Crit. ad Iuven. etc. pag. 3.
3) Schol. ad Sat. XI, 140 et Isidor. XVIII, c. 39.

Afri inprimis, Mauri, Numidae et Iberi utebantur. Hi autem ferocissimi populi, proelium inituri, quo maiorem hostibus incuterent terrorem, horrendum in modum cetras suas concutere et pulsare solebant. Id quod disertis scriptorum testimoniis affirmare licet. Afferam duos tantum locos, petitos e Punicis Silii Italici. Alter exstat in Libro X v. 230:

> Ingreditur nimbum, ac ritu iam moris Hiberi,
> carmina pulsata fundentem barbara cetra
> invadit.

Alter locus, Punic. XVI, 30, sic sonat:

> Nam concitus Hannon
> Adventabat, agens crepitantibus agmina cetris
> barbara, et indigenas serus raptabat Hiberos.

Cetram autem insignem in modum valuisse ad formidinem inferendam, iure, ni fallor, inde quoque efficere nobis licet, quod imperator Caligula, qui quaevis horribilia amabat, ea aliquando usus fuisse dicitur. (Confer. Sueton. in vita Calig. cap. 19 et cap. 50).

Talem igitur armaturam irato Marti egregie convenire, quis non videt?

Vs. 157—160.

> Cuperent lustrari, si qua darentur
> Sulphura cum taedis et si foret umida laurus
> illic. Heu miseri traducimur! arma quidem ultra
> litora Iubernae promovimus etc.

Illic: Recte, ni fallor, Iahnius ita legit et distinxit, ut *illic* referatur ad praecedentia. Häckermanno enim legenti [1]):

---

1) Häckermann, Der Pithoean. Cod. pag. 5.

„Illuc heu miseri traducimur!" hoc praecipue obstat quod, quum poeta supra hypothetice de Inferis locutus sit, nulla caussa esse videtur, cur se suosque aequales miseros dicat, quod iis *illuc*, i. e. ad inanes Inferos et ad vanos Camilli manes, sit abeundum.

Traducere autem quum significet: derisui exponere, diffamare, ignominia publica afficere, (Sat. VIII, 17, Sat. XI, 31; Martial. I, Ep. 54, III, Ep. 74 et 75, VI, Ep. 77; Livr. II, c. 38; Senec. de Benef. IV, c. 32); *traducimur* h. l. sic videtur intellegendum: „Nos Romani, omnium populorum victores, ipsis iis populis ludibrio ac derisui sumus." Confer vs. 162, 163

Vs. 162—167.

Sed quae nunc populi fiunt victoris in urbe,
non faciunt illi, quos vicimus. Et tamen unus
Armenius Zalaces cunctis narratur ephebis
mollior ardenti sese indulsisse tribuno.
aspice quid faciant commercia: venerat *obses*.
Hic fiunt homines.

Obses: Sic legitur in omnibus codicibus, uno excepto Hamburgensi, a Rupertio numero 26 notato, qui habet *hospes*. Quae lectio, etsi externâ auctoritate destituta, tamen ob internam dignitatem vulgatae praeferenda esse videtur. Continet enim egregiam oppositionem ad subsequentia verba: „hic (i. e. Romae) fiunt homines." Quibus verbis poeta, acerrimo sarcasmo usus, Romam, tamquam egregium παιδευτήριον laudat, in quo barbari, rudes, inculti, vitiis nondum corrupti, ad veram humanitatem (i. e. ad omnem turpitudinem) instituantur.

Hospes igitur recte opponitur notioni *hominis*, non vero *obses*. — De voce *hospes* confer. Cicer. Rabir. cap. 10; pro Milon. c. 12, § 33; Acad. I, 3, § 9; de Orat. II. c. 30, § 131. Evang. Lucae XXIV, 18.

Vs. 169—170.

Mittentur bracae *cultelli* frena flagellum:
Sic praetextatos referunt Artaxata mores.

Cultelli: Non audiendus videtur Schraderus coniciens legendum esse *clitellae;* nam hic intellegendi sunt cultri, quibus agitatores in circo muniti esse solebant.

Bracae: Non cogitandum esse, cum Heinrichio, de Armeniorum vestimentis, quae Armenio iuveni dono mittantur, abunde patet ex ultimo huius carminis versu, quo praetextati, i. e. Romani, mores in Armeniam transferri dicuntur. Bracae autem sunt femoralia, quibus aurigae procul dubio induti erant. Poeta hoc loco, ut saepius alibi, obiter perstringere videtur insanum ludorum circensium studium, quo omnes huius aevi Romani tam seniores quam iuniores flagrabant: Confer III, 223; V, 143; X, 81; XI, 53, 198.

SATURA III.

Vs. 16—20.

Hic, ubi nocturnae Numa constituebat amicae,
nunc sacri fontis nemus et delubra *locantur*
Iudaeis, quorum cophinus foenumque supellex —
Omnis enim populo mercedem pendere iussa est
Arbor, et eiectis mendicat silva Camenis.

Verbum *locantur* vehementer mihi quidem displicet, et varias ob caussas corruptelae suspicionem movet, quas deinceps exponere liceat.

Primum igitur *delubra locari* dicuntur. Quod quominus tute credamus, prohibemur non tantum eo, quod delubra ad aedes sacras (Sat. XIII, 107), diisque dicatas (Macrob

Saturn. III, c. 4) pertinent; sed etiam iis, quae de iure et privilegiis, quibus sacri loci gaudebant, disertis verbis praecipiuntur. Qua de re inprimis nobis consulendi sunt Plinius Secundus, et Iureconsulti, quorum praecepta in Digestis reperiuntur.

Plinius igitur, quum aliquando Imperatorem Traianum rogavisset, ut sibi liceret Prusae, in Bithyniae urbe, aedificare balneum in area domus collapsae, quam olim Claudius Polyaenus Claudio Caesari legavisset atque in cuius peristylio ei templum fieri iussisset, hoc responsum ab imperatore accepit: Possumus apud Prusenses area ista cum domo collapsa uti. Illud tamen parum expressisti an aedes in peristylio Claudio facta esset. Nam si facta aedes esset, licet *collapsa sit, religio eius occupavit solum* (Plin. X. Ep. 71 et 72).

Cui Traiani ad Bithyniae procuratorem rescripto consentiunt quae Marcianus in Digestis I. T. 8. l. 6. § 2 et 3 praecepit, quaeque sic se habent: „sacrae autem res sunt hae, quae publice consecratae sunt, non private; si quis ergo privatim sibi sacrum constituerit, sacrum non est, sed profanum. Semel autem *aede sacra facta*, *etiam diruto aedificio, locus sacer manet*." Et in Institut. Iust. II, 1, § 7 et 8: Nullius autem sunt res *sacrae* et religiosae et sanctae: quod enim divini iuris est, id nullius in bonis est. Sacra sunt, quae rite et per pontifices Deo consecratae sunt, veluti aedes sacrae et dona, quae rite ad ministerium Dei dedicata sunt, quae *etiam* per nostram constitutionem *alienari* et *obligari prohibuimus*. — „Locus autem in quo sacrae aedes aedificatae sunt *etiam diruto aedificio sacer manet*, *ut et Papinianus rescripsit*."

Ex his igitur locis patet *delubra* et universe omnes sacras aedes extra hominum commercium fuisse, adeoque nec potuisse emi aut vendi, nec conduci aut *locari*.

Deinde illa aedium sacrarum locatio parum congruere videtur cum indole aevi imperatorii. Novimus enim non tantum Augutum sed etiam, qui ei successerunt, imperatores, ut sibi populi favorem quaererent, nihil fere impensius studuisse, nisi ut deorum cultui suus restitueretur honos; eosque hanc ob caussam saepe magnas fecisse impensas, ut sacrae aedes, quae aut vetustate collapsae aut in bellorum civilium turbis dirutae essent, magnificentius restaurarentur. Nec Egeriae vallem ejusque sacra delubra ab iis omissa aut neglecta fuisse, ex ipsius Iuvenalis verbis colligere possumus. Poeta enim, ut videtur, religioso quodam sensu affectus, vs. 12 sqq., dolet quod speluncae vallis jam dissimiles sint veris, i. e. quod antiquam ac horridam formam amiserint; quodque margo sacri fontis non amplius ingenuo nativoque topho, sed eleganti ac recenti marmore sit obductus.

Quis igitur facile credat haec delubra, antiqua religione veneranda [1]), *locata* fuisse? Quis credat hoc sacrum, nemus et fontem, unde ex Numae instituto virgines vestales aquam lustralem peterent, *Iudaeis* locata fuisse? Iudaeis, faeci totius generis humani?

Tandem, nulla caussa satis apta excogitari posse videtur ut ipsi Iudaei haec potissimum loca conducturi fuerint, quia et trans Tiberim suas sedes habebant, et tanto odio omnia abhorrebant atque abominabantur, quae vel aliquatenus idolorum cultu contaminata essent. Parum igitur veri simile mihi quidem videtur ut in his locis synagogen vel proseuchen condiderint. De *cimeterio* autem Iudaeorum, quod ad viam Appiam fuisse videtur [2]), quominus hic cogitemus, prohibemur ipso verbo *locantur*. Sepultura enim

1) Ovid. Fast. III, 262. Liv. I, 19 et 21.
2) Friedländer, l. l. t. III, pag. 510.

non fiebat in *conducto* loco, sed in emto, quippe qui, cadavere illato, religiosus fieret [1]). Nec magis probabile est ut Iudaeis, ex urbe expulsis, haec delubra locata fuerint, in quibus commorarentur.

Omnium tamen ineptissima et a Iudaeorum moribus ac vitae ratione prorsus aliena est explicatio Scholiastae ad Sat. VI, 542; ubi haec leguntur: „Iudaea venit mulier, quae in aurem susurrando sub obtentu religionis mendicat, scilicet aliquid petit. Dixit nam superius (i. e. nostro loco) Iudaeis *ortos datos* quos *colentes praestabant* pensiones. Modo inquit *laborem orti* declinantes transferunt se ad deos, lucri causa, legem Moysei exponentes." — Quae quam inania sint, non opus est dictu. Nostro enim loco procul dubio de *mendicantibus* Iudaeis sermo est, quippe qui ubique tales occurrant.

Quum igitur verbum *locantur* gravibus, ni fallor, difficultatibus prematur, maluerim legere *coluntur,* ut poeta hoc voluerit, Iudaeos mendicantes magna frequentia, in his locis semper versari et *quasi habitare.*

Versus autem 19 et 20, qui nostrae coniecturae obstant spurios habeo, non tantum quia iisdem difficultatibus, de quibus egi, premuntur; sed etiam aliis incommodis laborant. Primum enim nihil continent nisi inane interpretamentum verborum *nemus* et *locantur,* nulla ratione habita vocis *delubra*, quae quidem inprimis explicatione indigebat. Tum contendunt „*populo* mercedem pendi"; quod parum probabile videtur; nam pensiones agrorum sacrorum veri similiter in arcam pontificum redibant. Porro locutiones „*arbor pendere jussa mercedem*" et „*silva mendicat*", potius declamatori conveniunt, qui exaggeratas et insolitas formulas corraderet, quam ingenioso poetae „cui non sit publica vena" (VII, 53).

1) Digest. I. T. 8. l. 6. § 4; Instit. Iust. II. § 9.

Tandem *Camenas ejectas* esse, negatur versibus Sulpiciae. Conferantur ejus Saturae vs. 64 sqq.

Vs. 86—91.

Quid quod adulandi gens prudentissima laudat
sermonem indocti, faciem deformis amici,
et longum invalidi collum cervicibus aequat
Herculis Antaeum procul a tellure tenentis,
miratur vocem *angustam*, qua deterius nec
ille sonat, quo mordetur gallina marito.

Ex ultimo versu, etsi, ut mihi quidem videtur, nondum sanato, satis tamen patet significari vocem miserabilem, gracilem, exilem. Unde igitur sequitur, ut adiectivum *angustam*, quod praegresso versu occurrit, supervacuum sit et prorsus langueat. Putaverim ergo esse vitiosum, et una litera conversa scribendum esse *augustam;* ut graeculus adulator hîc dicatur summis laudibus praedicare atque *divinam* adeo nominare exilem patroni vocem.

Augusta quidem vox alibi, quod sciam, non dicitur, sed tamen ita dici potuisse, nullus dubito, quoniam *coelestis vox* in usu fuit. Novimus enim eo nomine Neronem a populo appellatum esse (Suet. in v. Ner. cap. 22). Et Tacitus non tantum narrat obiectatum esse Thraseae Paeto, quod numquam pro salute principis aut *coelesti voce* immolavisset (Ann. XVI. c. 22), sed etiam alibi scribit (Ann. XIV. 15) equites Augustanos formam vocemque Neronis *deum nominibus* appellavisse. *Augustum* autem quum significet μεῖζόν τι ἢ κατ' ἄνθρωπον [1]), locutioni *vocis augustae* satis accurate respondent graeca verba θεία φωνή, quibus

1) Dio Cass. LIII, 16, et Veget. II, 5: „nam imperatori cum *Augusti* nomen accepit, tamquam praesenti et corporali *deo*, fidelis est praestanda devotio et impendendus pervigil famulatus."

de Nerone Philostratus, et *ἱερὰ φωνή*, quibus de eodem imperatore Dio usus est. — Conferendus est etiam locus Act. Apostol. XII, 22: *ὁ δὲ δῆμος ἐπεφώνει θεοῦ φωνὴ καὶ οὐκ ἀνθρώπου.*

Ceterum verbum *miratur* sensu praegnanti esse intellegendum, aeque ac, quod praecedit, *aequat* (vs. 88) jam monuit Claverius. Vide Grang. ad h. l.

Vs. 98—103.

Nec *tamen* Antiochus, nec erit mirabilis illic
aut Stratocles aut cum molli Demetrius Haemo,
natio comoeda est. Rides, majore cachinno
concutitur; flet, si lacrimas conspexit amici,
nec dolet; igniculum brumae si tempore poscas,
accipit endromidem; si dixeris, aestuo, sudat.

Tamen: Schraderus ex uno Codice Norimb. legendum esse putat: *tantum.* Sed mutatione non opus est; nam sensus est: quamvis Antiochus, Stratocles, Demetrius et Haemus, summa artis theatralis peritia excellant, tamen in ipsa Graecia, non sunt admirationi, quia omnes Graeci eadem arte valeant. Conferendi sunt versus Sat. XIII, 162:

Quis tumidum guttur miratur in Alpibus? aut quis
in Meroe crasso majorem infante mamillam?
caerula quis stupet Germani lumina, flavam
caesariem et madido torquentem cornua cirro?
[nempe quod haec illis natura est omnibus una].

Nec dolet: quasi hoc monitu opus esset! Sermo est de graeculo adulatore, qui non tantum laetitiam sed etiam dolorem simulare possit. Maluerim igitur legere: *et dolet.*

Accipit endromidem: Mallem scriptum esset *arripit.* Quod majorem festinationem significaret. Nepos in vita

Alcib. c. 10. § 6: „hunc (hospitem en Arcadia) sequi se iubet et id, quod in praesentia vestimentorum fuit, *arripit.*"

Vs. 104—107.

[Non sumus ergo pares: melior qui semper et omni]
nocte dieque potest *aliena* sumere vultum
a facie, iactare manus, laudare paratus,
si bene ructavit, si *rectum* minxit amicus. —

Summo iure Iahnius expunxit versum 104; nam est inepta animadversio, qua nihil opus est. *Semper* prorsus abundat propter sequentia *nocte dieque.* Et „*omni* nocte dieque," ne Latinum quidem videtur.

Ceterum vulgatam lectionem: „alienum sumere vultum, a facie jactare manus," alteri lectione, quam e Cod. Pith. recepit Iahn, praeferendam esse duco. Nam *jactare manus* absolute pro „basia jactare" (IV, 118) vel „jacere oscula", dici non videtur; sed alio sensu, de *oratoribus* (Quintil. Inst. Or. VI, 3 § 54, X, 7, § 26), de *comoediarum actoribus* (Quint. XI, 3. § 179), et de *saltatoribus* (Ovid. Fast. III, 535, Propert. III, 8, 42) adhibetur. Quum ob caussam *a facie* non ad praecedentia, sed ad seqnentia referenda esse credo. Unde igitur sequitur ut vulgata lectio *alienum* retinenda sit.

Rectum: Non mutandum est in *lectum*, quod coniecerunt Parrharius et Valesius, non attendentes ad adverbium *bene*, cui respondet *rectum.* De his nequitiis vid. Martial. III, 81, Petron. c. 27, Arrian Dissert. Ep. l. 1. c. 3: *τί γὰρ ἔχθιον ἢ παῖ παῖ καλεῖσθαι παρὰ σίτοις καὶ τὴν ἀμίδα φέρειν.* Eupolis ap. Athen. I. p. 17 D. et ap. Mein. fr. com. Gr. II. p. 547.

Vs. 112.

Aviam: In nonnullis codd. legitur *aulam.* Est calami

de Nerone Philostratus, et *ἱερὰ φωνή*, quibus de eodem imperatore Dio usus est. — Conferendus est etiam locus Act. Apostol. XII, 22: *ὁ δὲ δῆμος ἐπεφώνει θεοῦ φωνὴ καὶ οὐκ ἀνθρώπου.*

Ceterum verbum *miratur* sensu praegnanti esse intellegendum, aeque ac, quod praecedit, *aequat* (vs. 88) jam monuit Claverius. Vide Grang. ad h. l.

Vs. 98—103.

Nec *tamen* Antiochus, nec erit mirabilis illic
aut Stratocles aut cum molli Demetrius Haemo,
natio comoeda est. Rides, majore cachinno
concutitur; flet, si lacrimas conspexit amici,
nec dolet; igniculum brumae si tempore poscas,
accipit endromidem; si dixeris, aestuo, sudat.

Tamen: Schraderus ex uno Codice Norimb. legendum esse putat: *tantum.* Sed mutatione non opus est; nam sensus est: quamvis Antiochus, Stratocles, Demetrius et Haemus, summa artis theatralis peritia excellant, tamen in ipsa Graecia, non sunt admirationi, quia omnes Graeci eadem arte valeant. Conferendi sunt versus Sat. XIII, 162:

Quis tumidum guttur miratur in Alpibus? aut quis
in Meroe crasso majorem infante mamillam?
caerula quis stupet Germani lumina, flavam
caesariem et madido torquentem cornua cirro?
[nempe quod haec illis natura est omnibus una].

Nec dolet: quasi hoc monitu opus esset! Sermo est de graeculo adulatore, qui non tantum laetitiam sed etiam dolorem simulare possit. Maluerim igitur legere: *et dolet.*

Accipit endromidem: Mallem scriptum esset *arripit.* Quod majorem festinationem significaret. Nepos in vita

Alcib. c. 10. § 6: „hunc (hospitem en Arcadia) sequi se iubet et id, quod in praesentia vestimentorum fuit, *arripit.*"

Vs. 104—107.

[Non sumus ergo pares: melior qui semper et omni]
nocte dieque potest *aliena* sumere vultum
a facie, iactare manus, laudare paratus,
si bene ructavit, si *rectum* minxit amicus. —

Summo iure Iahnius expunxit versum 104; nam est inepta animadversio, qua nihil opus est. *Semper* prorsus abundat propter sequentia *nocte dieque.* Et „*omni* nocte dieque," ne Latinum quidem videtur.

Ceterum vulgatam lectionem: „alienum sumere vultum, a facie jactare manus," alteri lectione, quam e Cod. Pith. recepit Iahn, praeferendam esse duco. Nam *jactare manus* absolute pro „basia jactare" (IV, 118) vel „jacere oscula", dici non videtur; sed alio sensu, de *oratoribus* (Quintil. Inst. Or. VI, 3 § 54, X, 7, § 26), de *comoediarum actoribus* (Quint. XI. 3. § 179), et de *saltatoribus* (Ovid. Fast. III, 535, Propert. III, 8, 42) adhibetur. Quum ob caussam *a facie* non ad praecedentia, sed ad seqnentia referenda esse credo. Unde igitur sequitur ut vulgata lectio *alienum* retinenda sit.

Rectum: Non mutandum est in *lectum*, quod coniecerunt Parrharius et Valesius, non attendentes ad adverbium *bene*, cui respondet *rectum.* De his nequitiis vid. Martial. III, 81, Petron. c. 27, Arrian Dissert. Ep. l. 1. c. 3: *τί γὰρ ἔχθιον ἢ παῖ παῖ καλεῖσθαι παρὰ σίτοις καὶ τὴν ἀμίδα φέρειν.* Eupolis ap. Athen. I. p. 17 D. et ap. Mein. fr. com. Gr. II. p. 547.

Vs. 112.

Aviam: In nonnullis codd. legitur *aulam.* Est calami

lapsus, non pia monachorum fraus, cui nimium tribuere solet Heinrichius. Conferantur vs. 37 *iubet* et *lubet*, vs. 70 *iocari* et *locari*, IV, 96 *iam* et *tam*, VII, 60 *Plerio* et *pierio*.

Ceterum hic versus satis ineptus videtur. Mallem eum abesse haud secus ac sequentem, quem expunxit Pinzgerus.

Vs. 135—136.

Cum tibi *vestiti* facies scorti placet, haeres
et dubitas alta Chionen deducere *sella*.

Vestiti: Hoc vocabulum, quod Heinrich, interpretatur *eleganter vestitum*, non sine offensione est; nam absolute ita alibi non dicitur. Cum v. Herwerden vir. clar. videtur esse legendum *festivi*. Confer Plaut. Mil. clar. IV, 1, 12 et Tertull. Apoll. c. 3: „quae mulier, quam lasciva, quam festiva!"

Sella [1]): Pignorius et Muretus coniciunt *cella*. Cui coniecturae obstant voces *alta* et *deducere*. Si enim habitaret Chione in *alta cella*, non erat quod inde eam deduceres, adscenderes aut descenderes ipse potius ad eam. Recte Heinrich iam laudavit locum Artemidori IV, 42 *ἐπὶ πορνείῳ ἐπὶ καθέδρας ἐν ἱματίοις πορφυροῖς*, et Plaut. Poenul. I, I, 57.

„Quae tibi olant Stabulum Statumque, Sellam et Sessibulum."

---

1) *Sella:* Haec vox loci Senecae I de Benef. c. 9 me admonet: „rusticus, inhumanus ac. mali moris et inter matronas abominanda conditio est, si quis coniugem suam in *sella* prostare vetuit." Ubi Cornelissen, vir. cl. (in Coniect. Latin. p. 13) pro *sella* legi iubet *cella*, provocans ad Juven. VI, 122 et Petron. c. 8. Sed minus recte; nam contextus ipsius Senecae huic coniecturae obstare videtur. Sequuntur enim continuo haec: „et vulgo admissis inspectoribus *vehi* undique perspicuam." Ex verbo *vehi* patet non cogitandum esse de *cella* sed de *cathedra*, aut potius de *lectica*, velis non clausa. Conferatur etiam alius Senecae locus, quem attulit Lipsius ad h. l. „quam, in *sella patente circumlatam*, populus ab omni parte aeque ac maritus inspexerit."

Vs. 138—139.

Procedat vel Numa vel qui
servavit *trepidam* flagranti ex aede Minervam.

Trepidam: Non improbabilis est Jac. Nic. Loensis coniectura legentis *tepidam*. Quod adiectivum magis convenit cum *flagranti*, nec minus sapit satyricum, et melius repraesentat imminens periculum. Huic coniecturae aliquatenus certe favet Scholiasta, qui haec habet: L. Caecilium dicit Metellum, pontificem maximum qui *ardente templo* Vestae palladium *ex mediis ignibus* rapuit, ibique caecatus est." Scholiasta saltem trepidationis nullam fecit mentionem.

Vs. 149—151.

Si toga sordidula est et rupta calcem *alter*
pelle patet, vel si consuto vulnere crassum
adque recens linum ostendit non una cicatrix.

Schraderus pro *alter* malebat *ater* vel *alte*. Sed neutrum probandum est. Nam *ater* prorsus otiosum esset; nec *alte* satis convenit, quia significare voluit poeta *vel levissimum* calcei vitium aliis risum movere. Recens linum esse *tunicam* monet Friedländer [1]).

Vs. 184—189.

Quid das, ut Cossum aliquando salutes,
et te respiciat clauso Veiento labello?
ille metit barbam, crinem hic deponit amati,
plena domus libis venalibus, accipe et istud
fermentum tibi habe: praestare tributa clientes
cogimur et cultis augere peculia servis.

---

1) Friedländer, l. ll III. pag. 43.

Plena domus *libis venalibus:* Haec verba videntur corrupta; nam nullum probabilem sensum praebent. Nec de lectione satis constat; nam pro *libis* in codice Pithoei aliisque legitur *libris.* Quod vocabulum quoque ut lemma praefixum est annotationi Scholiastae. Ex ipsa tamen eius annotatione luculenter patet Scholiastam suo in codice aliud quid legisse. Habet enim haec: „sic fit ut damno quatiaris, si iveris salutatum." Quae manifesto nec ad *libis* nec ad *libris* pertinent. Scholiasta interpretatur quasi legerit *servis;* confer. Sat. V, 66. Non tamen statuendum est eum revera ita legisse; nam vox *servus* vulgarior est quam quae facile a scribis librariis permutari potuerit, ejusque forma nimis discrepat a vulgatae scripturae ductibus: Quo accedit ut eadem vox (*servis*) apud poetam, versu 189 occurrat. Qualis iteratio ingrata foret.

Häckermannus [1]) autem pro *libis* putat legendum esse *Lydis* vel *Libycis.* Neutra tamen coniectura satis placet. Altera enim, nempe *Libycis*, non admittenda est, quia *Libyci* servi, utpote incultiores, vulgo ad rudiora et externa opera, non vero ad honestiora et domestica ministeria adhibebantur Cf. Sat. V, 52.

Prior uiri docti coniectura, *Lydis*, alteri longe quidem praestat, nam culti et elegantiores servi, de quibus hoc loco sermo est, plerique ex Asia Minori Romam advehebantur: Sat. V, 56: „Flos Asiae ante ipsum (dominum)." Maluerim tamen legere *Lyciis*, quia poeta hoc nomine usus est Sat. XI, 147: „non Phryx aut Lycius", ubi rudibus servis culti opponuntur.

Vs. 198—201.

Nocte metus! jam poscit aquam, jam frivola transfert
Ucalegon, tabulata tibi jam tertia fumant,

---

1) Der Pythoean. Cod. Iuv. pag. 22.

[tu nescis; nam si gradibus trepidatur ab imis]
ultimus ardebit etc.

Versum, uncinis inclusum, spurium esse puto. Primum enim ab hac vividissima incendii descriptione tam frigida ratiocinatio et jejuna admonitio, quales hoc versu continentur, prorsus alienae sunt. Tum particula causalis *nam*, cujus frequentissimus usus est in locis interpolatis, non commode explicari potest; nulla enim caussa affertur.

Tandem particula conditionalis *si* non convenit; nam quod „ultimus ardebit," non pendet ex trepidatione ceterorum.

Vs. 203—205.

Lectus erat Codro Procula minor, urceoli sex,
ornamentum abaci, nec non et parvulus infra
Cantharus et recubans *sub eodem marmore* Chiron.

Sub eodem marmore: C. Valesii conjecturam: *sub eo de marmore*, non probandam esse patet vel ex una vocula *infra*, quae praecedenti versu legitur. *Infra* enim ibi ad *ornamentum abaci* est referendum; *sub eo* autem non pertineret ad *monumentum*, sed ad *parvulum cantharum;* quod absurdum est! Vulgata lectio sana est. Verbis enim *sub eodem marmore* poeta significare voluit signum Chironis, ingentis illius centauri, quod Codrus haberet, esse exiguum, parvum. Omnia Codri supellectilia sunt minuta: lectus Procula minor, urceoli, parvulus cantharus.

Mansonis autem conjecturam, pro *chiron* legentis *echinus*, egregie jam refutavit Heinrichius ad h. l. Cujus argumentis hoc unum addere liceat, quod Chiron, *ὁ τῶν κενταύρων μουσικώτατος*, aptissimum transitum parat ad *Graecos* illos *libellos*, quorum sequenti versu mentio fit.

Vs. 205—206.

Iamque vetus Graecos servabat cista libellos,
et divina *Opici* rodebant carmina mures.

Isaaci Vossii coniectura, qua pro *Opici* legendum esset *Epici* i. e. Homeri, refellitur concinnitate, qua utriusque versus singula et membra et verba sibi invicem quam accuratissime respondent.

Recte Heinrich vocem *opici* interpretatus est: *nihil intellegentes:* Confer VI, 455.

Vs. 208—211.

Nil habuit Codrus, quis enim negat? et tamen illud
perdidit infelix totum nihil; ultimus autem
aerumnae est cumulus, quod *nudum* et frusta rogantem
nemo cibo, nemo hospitio tectoque juvabit.

Nudum: Heinrichius in Comment ad h. l. haec habet: Der arme Schelm ist nackt und bloss, weil ihm das Wenige, was er hatte, verbrannt ist. Recte, procul dubio, quod ad etymologiam attinet, sed parum recte, quod ad verborum contextum. Quum enim omnem supellectilem, qua Codri cubiculum ornatum esset, praecedentibus accurate descripserit poeta, atque diserte iam narraverit cuncta frivola incendio consumta esse, miserumque hominem, qui revera nihil haberet, totum illud nihil perdidisse, mirum sane foret si iam idem repetivisset, et denuo ad eandem tenuitatis ac nuditatis notionem inculcandam revolutus fuisset. Talis eiusdem rei iteratio, non tantum lectori, sed etiam auditori taedium parit, atque, ut in alius generis poetis non offendat, in satyrico, qualis Iuvenalis est, fervidi ingenii, vix ferenda videtur. Iuvenalis enim ad finem quasi festinat et inutilia verba fere fugere solet. Praeterea vocabulum *nudum* hoc quoque nomine laborat, quod, etsi per chiasmum referendum est ad *hospitio tectoque*, his vocibus tamen non satis accurate respondet.

Putaverim igitur *nudum* mendosum, et satis leni conjecturâ mutandum esse in *nidum.*

Nidum autem non tantum a poetis sed etiam a pedestris orationis scriptoribus metaphorico sensu usurpari, patet ex his Horatii locis: III. Od. 4, 14 et Ep. I, 10, 6:

Tu nidum servas ego laudo ruris amoeni
rivos et musco circumlita saxa nemusque.

Ex Plin. Lib. VI. Ep. 10: „Cum venissem in socrus meae villam Alsiensem, quae aliquando Rufi Verginii fuit, ipse mihi locus optimi illius et maximi viri desiderium non sine dolore renovavit. Hunc enim incolere secessum atque etiam senectutis suae *nidulum* vocare consueverat." Confer Burmann. ad Valer. Flacc. Argonaut. IV. v. 48, qui affirmat Gatakerum in libro II. Adv. cap. 17 „nidum de domicilio hominum dici" multis ostendisse. — Cur autem poeta voce *nidi*, significatione haud ita vulgari, pro domicilio usus sit, neminem latebit, qui eorum meminerit, quae huic de Codri miseriis narratiunculae proxime praecedunt. Legimus enim versibus 201 et 202:

Ultimus ardebit, quem tegula sola tuetur
a pluvia, molles ubi reddunt ova *columbae.*

Tum vox *nidus* non minus quam *frusta* egregie valet ad *modestiam* Codri significandam. *Nidus* enim, collatis versibus 201 et 166, indicat *miserabile* hospitium.

Deinde, ut *frusta* per Chiasmum respondet voci *cibo*, ita *nidum* accurate refertur ad *hospitio tectoque*, i. e. hospitali tecto.

Tandem, quod supra iam aliquatenus attigimus, naturalis rerum narrandarum successio et ordo postulat ut scribatur *nidum.* Brevissima enim hac narratione tota

Codri vita accurate describitur, atque in quatuor partes exacte dividitur; quarum prima agit de Codro paupere, altera de Codro nudo, tertia de Codro mendicante, quarta tandem de Codro repulsam ferente.

Vs. 212—214.

Si magna *Asturici* cecidit domus, horrida mater,
pullati proceres, differt vadimonia praetor;
tunc gemimus casus urbis, tunc odimus ignem.

Asturici: est nomen prorsus ignotum; requiritur vero nobilissimum nomen, idemque antiquissimum, nam versu 221 aliud nomen (*Persicus*) pro eo substituitur. Mallem igitur scriptum esset *Assaraci:* cujus domus, genus, alia saepius a Vergilio aliisque poetis memorantur. Senec. Troad. v. 17:

Regiam flammae ambiunt;
Omnisque late fumat Assaraci domus.

Quod nomen, ni fallor, non minus conveniret quam *Ucalegon*, quod versu 199 paulo liberius usurpatur.

Gemimus: In sat multis codicibus legitur *geminus*, quod etiam in editione Heinrichii receptum est. Sed merito novissimi editores alteram lectionem praetulerunt, quippe cui èt sequens verbum *odimus* melius respondeat, èt metrum faveat. *Casus* enim alteram syllabam producit.

Vs. 226—227.

Hortulus hîc, puteusque brevis nec reste movendus
in tenuis plantas facili *defunditur* haustu.

In plerisque Codd. pro *defunditur* legitur *diffunditur*, quod praefert Häckermann [1]). Nescio an recte; hortulani enim

1) Der Pith. Cod. pag. 6.

non adeo est *defundere* aquam in *tenuis* plantas, sed potius *diffundere* i. e. aspergere et leniter irrigare plantas. Versus autem 277, ubi legitur *defundere*, alia est ratio.

Vs. 237—238.

Convicia mandrae
eripient somnum Druso *vitulisque* marinis

Vitulisque: Jacobs mutari iubet in *vitulisue.* Sed minus recte; nam particula *que*, ut iam monuit Heinrich. ad h. l., arctissimam coniunctionem significat, qua Drusus et phocae in veterni societatem quandam quasi coaluisse dicuntur.

Parum poetice H. Valesius pro *vitulisque marinis* legendum coniecit: *vetulisue maritis.*

Ceterum de Druso, quo nomine imperator Claudius significari videtur, conferantur Sat. VI. 116 et Sueton. in vita Claud. c. 8 et c. 33: „Somni brevissimi erat. Nam ante mediam noctem plerumque evigilabat, ut tamen interdiu nonnumquam in iure dicundo obdormisceret, vixque ab advocatis, de industria vocem augentibus, excitaretur."

Vs. 241—242.

Adque obiter leget aut scribet vel dormiet intus,
[namque facit somnum clausa lectica fenestra].

Posteriorem versum, quem inclusi, spurium habent Pinzgerus et Heinrichius. Nec sine causa; nam nihil continet nisi inanem explicationem verborum proxime praecedentium „dormiet intus." Interpolator metuens ut propter ea, quae versibus 235 sqq. dicuntur, illa dormitio in mediis turbis et strepitu vicorum satis credibilis videretur, probabilem caussam adiiciendam esse duxit. Quasi vero poeta tales minutias curaret! Pleraque interpolamenta eiusmodi sunt ut unam alteramve vocem explicent, atque suam indolem

vulgo particula aliqua causali statim produnt: nam, namque, enim, ergo, quippe: Confer. I, 137, 138; III, 19, 104, 200, 281; IV, 78; X, 41; XI, 161, 176.

Vs. 278—282.

Ebrius et petulans, qui nullum forte cecidit,
dat poenas, noctem patitur lugentis amicum
Pelidae, cubat in faciem, mox deinde supinus.
[ergo non aliter poterit dormire? quibusdam]
somnum rixa facit.

Summo iure, ni fallor, Heineckius [1]), versum 281 spurium habet. Nam talis interrogatio, sive Umbricio sive ipsi Iuvenali, alterum interroganti tribuitur, post vividam illam insomniarum descriptionem, valde inepta est. Praeterea pronomen *quibusdam*, i. e. nonnullis, non omnibus, sapit scrupulosum ludimagistrum, qui abhorrens ab universalibus dictis, illud „somnum rixa facit" aliquanto arctius et accuratius definiendum esse putaret. Hic igitur eundem pusillum animum deprehendimus, quem supra versu 142 taxavimus. Conferatur etiam Sat. VII, 51 (*multos*).

Vs. 298—299.

vadimonia deinde
irati faciunt;

Irati tenuiter et parum apte dicitur. Nam isti nepotes non ira, sed procacitate pauperes omni contumelia afficiunt. Mallem scriptum esset: *iurati*.

Vs. 300—301.

Pulsatus rogat et pugnis *concisus* adorat
ut liceat paucis cum dentibus inde reverti.

1) Animadvers: in Iuven. pag. 31.

Domitius Calderinus pro *concisus* voluit *contusus*. Sed nulla mutatione opus videtur: Horat. Sat. I, 2, 96 „pugnis caesus"; Plaut. Truc. IV, 2, 55; Cic. I in Verr. c. 47; Sat. XIII, 127 „pugnis caedere."

Vs. 312—314.

Felices *proavorum* atavos, felicia dicas
saecula, quae quondam sub regibus atque tribunis
viderunt uno contentum carcere Romam.

Proavorum: Non immerito Heinrichius spernit lectionem *pravorum*, quam Bahrdtius affirmat se in aliquot codicibus invenisse, quamque Rupertius imprudenter probat. His enim versibus, quibus poeta magnifice antiqui aevi felicitatem praedicat, vox mali ominis non convenit. Praeterea tota loci structura clamat *proavorum* esse legendum. Poeta enim ad summam antiquitatem adscendit, quo magis a praesenti rerum conditione, cuius eum taedeat, se paulisper avertat, atque prisca felicitate quasi recreetur.

Vs. 315—318.

His *alias* poteram et plures subnectere *causas*.
Sed iumenta vocant, et sol inclinat, eundum est;
nam mihi commota iam dudum mulio virga
adnuit.

Alias-causas: Scholiasta: „poteram et alia *incommoda urbis* dicere, nisi animalia me vocarent." Legitne fortasse *alios-casus?* vs. 214 „casus urbis."

Obiter, si tanti est, corrigenda sunt absurda scholiastae verba „meliori deae." Legendum: mulio redae: vs. 10.

Vs. 321.

Converte a Cumis.

Heinrichius praefert lectionem *convelle*. Non obnitar;

nam, quum *convellere* sit militare verbum, non male hic coniungetur cum vocibus *adjutor* et *caligatus;* de quibus conferendus est Ribbeckius in Praefat. ad Ed. Iuv. pag. X.

A Cumis: e vicinia Cumarum.

SATURA IV.

Vs. 25—27.

Hoc pretio squamam! potuit fortasse minoris
piscator, quam piscis emi; provincia tanti
vendit agros, *sed maiores Apulia vendit.*

Ribbeckius [1]) qui tam acute docuit versus 1—36 ab inepto aliquo declamatore conflatos esse, pro verbis fortasse corruptis, certe miserrimis *sed maiores Apulia vendit*, legendum esse coniecit *nec maioris se Apulia vendit.* Sed vir eximius hac in re non satis memor fuit Latinae Grammaticae, qua non dicitur: „*maioris* vendere" [2]) sed *pluris.* Versus indigni sunt in quibus corrigendis oleum et operam perdas.

Vs. 48—49.

Dispersi protinus *algae*
inquisitores agerent cum remige nudo.

Graevius pro *algae* malebat: *alni;* Rupertius: *alti*, vel *alto* vel *aulae.* Sed lectio vulgata commodum sensum praebet. Poeta, ni fallor, memor proverbii „alga vilior," ignominioso nomine istos inquisitores taxare voluit, qui quam scrupulosissime atque acerrime singula vel vilissima investigarent et nimio sui muneris studio abrepti ne tantillum quidem miseris piscatoribus parcerent.

1) l. l. pag. 76.

2) Mendum eiusdem generis irrepsit in Madvigii Gram. Latin. Ed. Alter. Belg. § 317, ubi haec in nota leguntur, „Bij constare, kosten wordt ook de genitivus *maioris* gevonden": „nulla res *maioris* constabit patri quam filius." Sed apud Iuvenalem (VII, 187), unde haec petita sunt, non legitur nec legi poterat *maioris*, sed *minoris;* quod recte se habet.

Vs. 76—79.

Rapta properabat abolla
Pegasus attonitae positus modo vilicus urbi.
[anne aliud tunc praefecti? quorum optimus adque]
interpres legum sanctissimus etc.

Facio cum Heinrichio et Ribbeckio [1]) versum inclusum delentibus. Nam absurda est interrogatio, qua prosopographia Pegasi misere abrumpitur. Versus nihil est nisi ineptum interpretamentum praecedentium verborum „vilicus urbi;" quorum sarcasmus, ut Ribbeckius observat, inani additamento vehementer diminuitur vel potius plane tollitur.

Vs. 83.

maria ac terras populosque *regenti.*

Conferri meretur locus Plinii Sec. Panegyr. IV. § 4: „Saepe ego mecum, P. C., tacitus agitavi, qualem quantumque esse oporteret, cuius ditione nutuque *maria*, *terrae*, pax, bella *regerentur;* cum interea fingenti formantique mihi principem, quem *aequata* diis immortalibus *potestas* (Sat. IV, v. 71) deceret, numquam voto saltem concipere succurrit similem huic, quem videmus."

Vs. 86—88.

Sed quid violentius aure tyranni,
cum quo de pluviis aut aestibus aut *nimboso*
vere locuturi fatum pendebat amici.

1) l. l. pag. 123.

Pro *nimboso* fortasse melius legeretur *nebuloso;* non tantum quia spondaici versus apud Iuvenalem satis rari obveniunt, sed etiam quia *nimboso* abundanter additur, nam modo de *pluviis* sermo fuit.

Vs. 89.

Ille igitur numquam direxit bracchia contra
torrentem etc.

Scholiasta haec habet: „id est numquam voluntati *bonae* Neronis obstitit." Quae verba corrupta fortasse sic sunt corrigenda: „*voluntatibus* Neronis." Nomine Neronis significatur Domitianus: Confer. vs. 38; Martial. XI Ep. 33, (quod epigramma Friedländerus [1]) ad Domitianum pertinere docuit); et Tertullian. de Pallio c. 4 ibique acuta Salmasii coniectura.

Vs. 93.

Solstitia.

Hic intellegenda esse *aestiva* solstitia inde patet quod opponuntur *multae hiemes.* Confer. Cic. de Nat. Deor. II. c. 19: „in lunae quoque cursu est et *brumae* quaedam et *solstitii* similitudo." Id. cap. 7 ibique Schoemann, qui Iuvenalis loci non immemor fuit.

Vs. 94—98.

Proximus eiusdem properabat Acilius aevi
cum iuvene indigno, quem mors tam saeva maneret
et domini gladiis tam festinata. Sed olim
prodigio par est cum nobilitate senectus,
[unde fit ut malim fraterculus esse gigantis.]

1) Friedl. l. l. t. II. pag 195.

Merito Ribbeckius [1]) versum 98 delevit. Nam prorsus alienus est ab animo poetae, commoti de immatura ac saeva Acilii nece. Praeterea valde ineptus est; nam, quum in praecedentibus dictum sit *olim* in aula senes nobiles rarissimos fuisse, non erat sane cur poeta *nunc* mallet esse terrae filius. Tempora mutata erant.

Vs. 115—117.

Grande et conspicuum nostro quoque tempore monstrum,
Caecus adulator *dirusque a ponte* satelles,
dignus Aricinos qui mendicaret ad axes
blandaque devexae iactaret basia redae.

Dirusque a ponte s.: Haec verba a variis vario modo tentata sunt, sed, si quid video, nondum sanata. Ne Hauptii quidem coniectura: *dignus qui a ponte s.*, probanda videtur. Nam verbis „caecus adulator" non satis descriptum est illud „grande et conspicuum nostro quoque tempore monstrum." Requiritur, ni fallor, amplior prosopographia, qua oris foeditas istius satellitis etiam magis describatur. Quali autem poena dignus sit iste Catullus duobus subsequentibus versibus satis superque significatur. Putaverim igitur vocabulum *dirusque* esse sanum, sed vitium aliquod latere adhuc in sequentibus *a ponte.*

Vs. 121—122.

Sic *pugnas* Cilicis laudabat et ictus
et pegma et pueros inde ad velaria raptos.

Pugnas: Mallem scriptum esset *pugnos:* Quae vox, ni fallor, et melius responderet sequenti *ictus*, et magis congrueret cum fera mortiferi Catulli indole. Praeterea caecus

1) l. l. pag. 124.

adulator ridiculior fiet, si rem solidam et sub oculorum sensum cadentem laudaverit.

Raptos: Schol. habet: „*pergat* ad Romam, aut de pegmate excussos." Posterior explicatio vera est; sed praegressa verba sensu carent. Fortasse legendum: „*peregre* ad Romam", nempe rapti, ducti. Plures eiusdem farinae adnotationes in scholiis Iuv. occurrunt.

Vs. 139—143.

Nulli maior fuit usus edendi
tempestate mea; Circeis nata forent an
Lucrinum ad saxum Rutupinove edita fundo
ostrea, callebat primo depraendere morsu,
et *semel* aspecti litus dicebat echini.

Semel: Fortasse melius legeretur *simul.* Quod adverbium et aliquanto maiorem peritiam significaret, et praegressis „*primo* (non *uno*) morsu" melius responderet. *Simul* autem saepius pro „ut primum" usurpari, satis notum est: Martial. X Ep. 35; Terent. Heaut. V, 1, 34; Ovid. Met. XV, 577; Senec. Ep. 32 in fine.

SATURA V.

Vs. 46—48.

Tu Beneventani sutoris nomen habentem
siccabis *calicem nasorum quatuor* ac iam
quassatum et rupto poscentem sulphura vitro.

Calicem nas. q: Heinrich. ad h. l. intellegit poculi genus, quod ipse Vatinius introduxerit. Sed potius facio cum Friedländero [1]), qui nomen calicis repetendum esse statuit

1) Friedl. l. l. t. I. pag. 130.

de ingenti naso, qui scurrae deformi fuisse videatur. Vatinius enim, ut Tacitus narrat, (Annal. XV, 34): „inter foedissima Neronis aulae ostenta fuit, sutrinae tabernae alumnus, corpore detorto, facetiis scurrilibus."

Vs. 49—52.

Si stomachus domini fervet vinoque ciboque,
frigidior Geticis petitur decocta pruinis;
[non eadem vobis poni modo vina querebar]
vos aliam potatis aquam.

Versus inclusus cum Iahnio delendus est; nam et valde languet, et, quod plus est, verborum cohaerentiam turbat. Verba autem „vos aliam potatis aquam," artissime cohaerent cum versu 50, et opponuntur „Geticis pruinis." Sermo enim est non de vino (vs. 49) sed de *vulgari* aqua et de *nivata:* Confer Petron. c. 31.

Vs. 63.

Quando *rogatus* adest *calidae* gelidaeque minister?

Merito novissimi editores lectionem Cod. Pith. *rogatus* praeferunt vulgatae *vocatus;* quae huic loco non convenit: *vocatus* enim proprie is dicitur, qui ad coenam invitatus est: Martial I. Ep. 24. Ep. 44. II. Ep. 79. Pro *calidae* fortasse melius scriberetur *caldae.* Quae brevior forma, semper ni fallor, a Martiale adhibetur (Martial. I. Ep. 12, VIII. Ep. 67, XIV. Ep. 105), et quotidianae consuetudini aptior est.

Vs. 80—81.

Aspice quam longo *distendat* pectore lancem
quae fertur domino squillam etc.

Distendat: Non esse videtur quod cum Ribbeckio alteram

lectionem *distinguat* praeferas; nam vulgata multo gravior est. Agitur enim, ut Rupertius iam monuit, de *magnitudine* squillae, cui versu 85 *exigua patella* opponitur. Conferas Martial. XIII. Ep. 81:

Quamvis lata geras patella rhombum,
rhombus latior est tamen patella.

Vs. 114—117.

Anseris ante ipsum magni iecur, anseribus par
altilis, et flavi dignus ferro Meleagri
fumat aper, *post hunc tradentur* tubera, si ver
tunc erit.

Tradentur: quattuor diversae lectiones in Codicibus inveniuntur: *tradentur* et *traduntur*, *radentur* et *raduntur*. Quum autem *tradere* non sit vox convivalis, nec adhibeatur unquam significatione *apponendi* [1]), altera lectio *radentur* vel *raduntur* praeferenda est. Quo accedit quod Sat. XIV, 7 legimus: „radere tubera terrae." Quod ad tempus attinet N. Heinsius praeferebat futurum *radentur*. Sed praesens in descriptione maiorem vim habet, et praecedenti verbo *fumat* melius respondet.

Nec magis placet Heinsii coniectura, pro *post hunc* (i. e. post aprum) legentis: *post huic* (i. e. post domino). Nam sponte sua intellegitur haec terrae tubera non parasitis, sed *ipsi* domino esse destinata. Praeterea versu 114, dominus iam satis significatus erat.

Vs. 137—145.

Dominus tamen et domini rex
si vis tu fieri, nullus tibi parvolus aula
luserit Aeneas, nec filia dulcior illo.

1) Vide Häckerm. der Pith. Cod. pag. 26.

[iucundum et carum sterilis facit uxor amicum]
sed tua nunc Mygale pariat licet et pueros tres
in gremium patris fundat semel, ipse loquaci
gaudebit nido, viridem *thoraca* iubebit
adferri *minimasque nuces assemque rogatum*
ac mensam, quotiens parasitus venerit infans.

Rectissime Iahnius versum 140 uncinis inclusit; nam nihil continet nisi supervacuam praecedentium interpretationem. Verum etiam alia vitia in his versibus latere puto, quae ab interpretibus nondum satis explorata videntur. Unus tantum L. Ian, ut video ex Edit. Critic. Iahnii, paulo accuratius in hunc locum videtur inquisivisse [1]); atque statuens vocem *thoraca* (vs. 143) in mendo iacere, proposuit pro ea legendum *cito rhaga*. Quae tamen coniectura mihi quidem neutiquam probatur; et quamvis disputationem viri docti legere mihi non contigerit, nullus tamen dubito quin auctor a vero aberraverit. Primum enim in Latino scriptore sanando non facile e Graeca lingua medicina petenda est. Quod imprimis valet in iis locis, ubi de rebus vulgaribus, quotidiano usu tritis, unicuique notissimis, — quales sunt virides *ῥᾶγες* i. e. uvae — sermo est. Tum vox *ῥὰξ* vel *ῥᾶξ*, quum ne apud Graecos quidem scriptores collectivo sensu dici videatur, ea significatione in Latino scriptore non admittenda est. Sed quod maioris est momenti, rerum et temporis occasio huic coniecturae vehementer, si quid video, obstat. Etenim, quae nostro loco narrantur, fiunt in convivio. Convivae ad coenam, eamque, ut in divitis viri triclinio, procul dubio lautissimam, discumbunt. Infans, domini filiolus ad mensam accedit: statim unus e convivis, qui patroni

1) L. Ian, Gymnasial-Zeitung 1842. pag. 238.

benevolentiam captat, praeter alia munuscula puero afferri iubet.... *virides uvas.* Quam ineptum hoc foret statim in oculos incurrit. Quis enim ferret convivam, qui ad coenam lautiorem accumbens aliunde fructus afferri iuberet, qui ne in frugali quidem convivio deessent, Cf. XI, 72. Talis quidem conviva aut omni communi sensu destitutus, aut decori certe sensu parum imbutus videretur.

At verba quidem *viridem thoraca* ita haud corrupta mihi videntur, ut ea sanissima esse putem, atque adeo plurimum conferre ut etiam cetera ad sanitatem revocentur.

Paulo attentius hos versus legentes, statim offendimur absentia et defectu omnis symmetriae sive congruentiae. Quam parum haec munuscula, puero oblata, inter se cohaerent! Quam diversissimi sunt generis! „Viridis thorax, minimae nuces, as rogatus ac mensa!" Si haec in tabula depicta essent, quis risum teneret?

Tum, si reputamus his munusculis, tam absurde in unum collatis, referri, adumbrari atque quasi exprimi benevolum et laetum donatoris animum, qui „loquaci gaudebit nido," quis non sentit eam benevolentiam atque id gaudium parum apte significata? Aliis verbis, hoc loco harmoniae parum consultum est. — Quo accedit ut ne Latinus quidem loquendi usus satis observatus sit. *Infans* enim *fari*, *loqui*, *rogare* non potest. Digest. XXXVI. T. 1. l. 65.

Statuimus igitur in mendo iacere, primum quidem vocabulum *rogatum*, tum *assemque*, utpote miserabile donum significans, deinde *minimasque nuces*, ut parum congruentes cum *viridi thorace*, tandem etiam corruptum esse *mensam.*

Viridem thoraca: Heinrichius in Comment. ad h. l. intellegit militare vestimentum. Sed minus recte. Color enim militaris habitus non erat *viridis*, sed *russeus* sive

rufus. Quod patet ex hoc Martialis Epigrammate (XIV. Ep. 129):

Roma magis fuscis vestitur, Gallia rufis:
et placet hic pueris militibusque color.

Viridis thorax est vestimentum, quo *agitatores* sive *aurigae* in circo induti erant, quodque a poeta (Sat. XI, 198) non sine contemtu *pannus*, et a Plinio (IX. Ep. 6. § 3) *vilissima tunica* appellatur. Nostro autem loco poeta ornatiore et honestiore vocabulo *thoracis* [1]) utitur, quo melius significet eam tunicam non vilissimum esse donum. Eodem nos ducit adjectivum *viridis.* Nam ex quattuor Circensibus factionibus, quae a coloribus tunicarum, quas aurigae gestabant, Albatae, Russatae, Venetae, Prasinae nomen duxerant, *prasina*, i. e. *viridis*, factio hoc tempore omnium nobilissima erat. Prasinae enim factioni plerique imperatores impense favebant. Quod nominatim de Caligula et Nerone testatur Suetonius, quodque de Domitiano efficere nobis licet, tum ex Suidae [2]) annotatione tum ex Martialis epigrammate (XI. Ep. 33), quod Friedländerus ad hunc imperatorem refert [3]).

E verbis igitur *viridemque thoraca* coniicimus munuscula, de quibus hic sermo est, cohaerere cum ludis Circensibus, quorum insano studio omnes fere huius aevi Romani fla-

---

1) *Thorax:* Sueton in vit. Aug. c. 82: „Hieme quotannis cum pingui toga tunicis et subuculae *thorace laneo* et feminalibus et tibialibus muniebatur." Ad quem locum Torrentins annotat: „*thoracem* autem *subuculae* intellego quatenus ea *pectus* tegitur." — De *armilausia*, ut Scholasta interpretatur, cui respondet Graecorum *ἐπωμίς*, conferatur Salmasius in Trebell. Pollion. pag. 335.

2) Suid. in voce Ἰουβενάλιος: *ὁ δὲ Δομιτίανος ἐφίλει τὸν ὀρχηστὴν τοῦ πρασίνου μέρους, τὸν λεγόμενον Πάριν.*

3) Friedl. l. l. t. III, pag. 195.

grabant, et quo iam mature teneri puerorum animi imbuebantur: Sat. II, 169. Auctor Dialog. cap. 29.

Quum autem verba *assemque rogatum* et vitiosa videantur, nec cum circo quidquam commune habeant, coniicio pro iis legendum esse *axemque rotatum;* ut significetur curriculus, rotis vertentibus, volventibus instructus, qui minore forma prorsus referret currum, quo aurigae in circo vehi solerent.

Vocem *axis* per synecdochen saepe de toto curru dici notissimum est: Ovid. Heroid. IV, 160; Metam. IV, 632; Propert. III, 3, 13; Vergil. Aen. V, 820; Iuven. Sat. IV, 117.

De voce *rotatus* confer Ovid. Metam. II, 74:

> Finge datos currus: quid ages? poterisne *rotatis*
> obvius ire polis? ne te citus auferat axis!

Id. Met. XII, 296:

> Te quoque saeve Drya, circum caput igne *rotato*
> insequitur.

Quae coniectura si recte se habet, sequitur manifesto ut etiam verba *minimasque nuces*, quae media inter duas ad circum pertinentes notiones posita sint, mutari oporteat. Quamobrem pro iis substituendum puto: *miniosque equulos* vel *minios equulos*, i. e. parvulos equulos minio illitos, sive miniatos, rubros [1]).

Tandem pro *ac mensam*, (quam lectionem Jahnius ex Cod. Pith. utpote difficiliorem merito praetulit vulgatae *ad mensam*) puto scribendum esse *ac thensam.*

Thensa autem est „vehiculum *argenteum*, quo exuviae deorum ludis Circensibus in circum ad pulvinar vehebantur.“ Paul. Diac. in voce.

1) Sat. XIII, 70. Porsonus pro *gurgitibus miris* restituit *g. miniis.*

Legimus igitur:

> Viridem thoraca iubebit
> adferri *miniosque equulos axemque rotatum*
> *ac thensam*, quotiens parasitus venerit infans.

Hac ratione omnia accurate inter se cohaerent et aptum praebent sensum.

Ceterum Heinrichio assentior mulierem, cuius hic mentio fit, *Mygalen*, non uxorem sed concubinam domini esse habendam. Nomen enim Mygale parum convenit iustae uxori. Concubinae autem pueri, quum non sint in patria potestate, non impediunt quominus patronus studiose ab heredipetis colatur.

Tua nunc Mygale: Pronomen *tua* non specialiter ad Trebii concubinam est referendum, sed generaliter ad cuiusvis divitis viri. Ita saepius Iuvenalis pronomine usus est I, 142; II, 61, 153; III, 134; VI, 275; VII, 90; VIII, 52; XIII, 107, 221.

Nunc: Hic non magis temporali sensu accipiendum est quam Sat. X, 43. De qua particula videatur Terent. Eunuch. III, 5, 17; et Adelph. II, 3, 3; ubi Donatus ad verba *nunc tu* adnotavit: τῷ ἰδιωτισμῷ additum est de superfluo ut „tu nunc Carthaginis altae Fundamenta locas.“ (Verg. Aen. IV, 266).

Vs. 153—155.

> Tu scabie frueris mali, quod in aggere rodit
> qui tegitur parma et galea metuensque flagelli
> discit ab hirsuta iaculum torquere capella.

Recte hunc locum iam intellexit Calderinus de *simiolo* capellae dorso insidente et inde missilia iaciente.

Ceterum de simiis condocefactis confer. Cicer. ad Attic. VI, 1, 25: „cynocephalus in essedo,“ et Luxor. „de

Simiis canum dorso impositis," Anthol. Latin. Ed. Meyer, 341 [1]).

Vs. 166—169.

> Spes bene cenandi vos decipit. „Ecce dabit iam
> semesum leporem atque aliquid de clunibus apri;
> *ad nos iam veniet minor* altilis." Inde parato
> intactoque omnes et stricto pane tacetis.

Ad nos: Markland [2]) et Oudendorp, legi iubent: *ad vos.* Sed non audiendi sunt; nam vulgata lectio longe maiorem vim habet. Parasiti, quibus est spes longissima coenae (Sat. I, 133), ipsi taciti (v. 169) secum dicunt: ecce dabit etc. [3]).

Franckius [4]) pro *ad nos iam veniet minor altilis* legendum statuit: *ad nostram veniet mensam altilis.* Sed parum recte; nam voce *minor* contextus prorsus carere non potest. Parasiti enim *totum* altilem sperare non audent; *minor* altilis, *semesus* lepus, *aliquid* de clunibus apri iis sufficiet, ulterius eorum vota non tendunt.

SATURA VI.

Vs. 11—13.

> Quippe aliter tunc orbe novo coeloque recenti
> viuebant homines, qui *rupto* robore nati
> compositique luto nullos habuere parentes.

Rupto robore n.: In his verbis aliquod vitium latere puto; non, quod non possint aliquatenus explicari, sed

1) Friedländer, l. l. t. I, pag. 261.
2) Ad Stat. Silv. IV, 9, 34.
3) Miscell. observ. X, p. 465.
4) Verisimil. specim. p. 31 sqq.

quia miror quod hoc loco nulla mentio fit illius omnium nobilissimi mythi, ex quo homines ex saxis orti sint. Dubito igitur utrum scribendum sit: „*rupe et robore* an *rupe aut robore.*" Cui coniecturae fortasse aliquid praesidii inest in his locis.:

Odyss. XIX, 163: *οὐ γὰρ ἀπὸ δρυός ἐσσι παλαιφάτου οὐδ' ἀπὸ πέτρης.*

Plat. Apol. p. 34. d: *καὶ γὰρ τοῦτ' αὐτὸ τοῦ Ὁμήρου· οὐδ' ἐγὼ ἀπὸ δρυὸς οὐδ' ἀπὸ πέτρης πέφυκα, ἀλλ' ἐξ ἀνθρώπων, ὥστε καὶ οἰκεῖοί μοι εἰσί καὶ υἱεῖς.*

Cicer. Acad. II, c. 31: „Non enim e *saxo* sculptus aut e *robore* dolatus."

Huc etiam pertinere videtur: *rupices;* quae vox apud Aul. Gellium (XIII, 9), Tertull. (de Pall. c. 4; de Anim. c. 6; Apolog. c. 21;) occurrit; et *petrones*, de quibus Festus (sub voce) haec habet: „*petrones* rustici fere dicuntur propter vetustatem, et quod quaeque ac praerupt.... iam agri petrae vocantur, ut *rupices* iidem..."

Vs. 19—20.

> Paulatim deinde ad superos Astraea recessit
> hac comite, atque duae pariter fugere sorores.

Ambo versus interpolati videntur. Primum, quia in praecedentibus Pudicitia primarium locum occupat, hic vero Astraea. Tum, quia Astraea, Iustitiae dea, *comite* Pudicitia, eodem igitur tempore, ad superos recessisse dicitur. At Pudicitiam satis diu ante Astraeam abiisse, iure efficimus e versibus 23 et 24:

> Omne *aliud* crimen mox *ferrea* protulit aetas,
> viderunt primos *argentea* saecula moechos.

Nec aliter Ovidius docet (Metam. I, 150):

> *Ultima* coelestum terras Astraea reliquit.

Tandem verborum delectus parum eximius est; nam *atque duae* vehementer friget post *hac comite;* et *paulatim recessit* non bene congruit cum verbo *fugere*, quod de accelerato abitu dicitur.

Vs. 23—24.

Omne aliud crimen mox ferrea protulit aetas,
Viderunt primos argentea saecula moechos.

Transponendos esse hos versus statuit Schrader [1]). Sed minus recte; nam versus 24 aptissimum parat transitum ad sequentia: „conventum etc."

Heineckius [2]) versum 23 spurium habet: At hic versus vi sua non caret; nam per oppositionem ferreae aetatis et argentei saeculi optime significatur antiquum ac vetus esse adulterium.

Vs. 97.

Fortem animum praestant rebus quas turpiter audent.

Hunc versum spurium habeo, qui ieiuna et intempestiva admonitione egregiam descriptionem misere abrumpat.

Vs. 107—109.

Praeterea multa in facie deformia, *sicut*
attritus galea mediisque in naribus ingens
gibbus et acre malum semper stillantis ocelli.

In hac descriptione faciei gladiatoris, vocabulum *sicut* mendosum esse, unicuique statim in oculos incurrit. Pro eo poteris coniicere *crinis*, aut cum Ribbeckio *cirrus*. Sed neutrum satis convenit; nam gladiatores non magis quam

1) Emendation. 0, p. 139 sqq.
2) Animadvers. pag. 33.

milites comam alere solebant. Fortasse, usu paulo liberiore legere licet *vultus*, ut intelligantur *malae* sive *genae*.

Sat. XV, 56, 57:

Aspiceres iam cuncta per agmina *vultus*
dimidios, alias facies etc.

Sat. XV, 170, 171:

Sed pectora brachia *vultum*
crediderunt genus esse cibi.

Sil. Ital. Punic. II, 319, 320:

Pubescit (Hannibal) castris miles *galeaque teruntur*
nondum signatae flava lanugine *malae*.

Conferas etiam Martial. VIII, Ep. 24, et Valer. Flac. Argon. I. 390.

Vs. 114—115.

Quid privata *domus*, quid fecerit Hippia curas?
Respice rivales divorum, Claudius audi
quae tulerit.

Cum v. Herwerdeno vir. clar. pro *domus* legendum esse *domu*, manifesto patet e verbis sequentibus: „Claudius audi *quae tulerit*." Sic demum apta orietur oppositio inter *aulam* et *domum*. De antiqua dativi forma vid. Ovid. Met. IV, 66. Vergil. Eclog. V, 29. Aen. I, 156, 257; III, 541, 692; VI, 698; IX, 605.

Vs. 122—124.

Tunc nuda *papillis*
prostitit *auratis* titulum mentita Lyciscae
ostenditque etc.

C. Valesius et Balusius pro *papillis* volunt *capillis*. Sed male; nam iam supra, v. 120, de flavo galero, quo mere-

trices utebantur, sermo fuit. Hic autem *nuda pap.* respondet iis, quae leguntur versu 124.

Nec magis audiendum esse Schegkium, qui pro *auratis* parum poetice coniecit *ornatis*, patet ex loco Ovid. Fast. II, 309, quem affert Heinrichius:

Ibat odoratis humeros perfusa capillis
Maeonis, *aurato* conspicienda sinu.

Conferatur etiam versus 589, ubi Madvigius *aurum* frustra mutat in *armum*.

Vs. 136—139.

Optima sed quare Censensia teste marito?
bis quingenta dedit: tanti vocat ille pudicam,
[nec pharetris Veneris macer est aut lampade fervet]
inde faces ardent, veniunt a dote sagittae.

Versu incluso facile careamus; non tantum quia Veneri tribuit, quae Cupidini conveniunt, sed etiam quia ineptam continet admonitionem, qua praeterea versus 139 divellitur a versu 137, quocum artissime cohaeret; nam *inde* et *tanti* referuntur ad *bis quingenta*. Ceterum nemo quisquam maceratur *pharetris*, sed *igni*: Cf. Horat. I. Od. 13, 8.

Vs. 149—152.

Interea calet et regnat poscitque maritum
pastores et ovem Canusinam ulmosque Falernas —
[quantulum in hoc! — pueros omnes, ergastula tota,]
quodque domi non est, sed habet vicinus ematur.

Quantulum in hoc: mira sane locutio! pro „quantulum hoc est." Hermannus conjecit: „quantulum enim hoc!" Sed praestat, ni fallor, totum versum delere, nam quae sequuntur „pueros *omnes*, ergastula *tota*", tam parum poe-

tice dicuntur, et tam absurdam hyperbolen continent, ut ea Iuvenali adscribere non ausim.

Vs. 155.

Grandia *tolluntur* crystallina, maxima rursus
myrrhina etc.

Rupertius dubitat an pro *tolluntur* melius legatur *poscuntur*. Sed fallitur; vulgata lectio longe praestat; quippe quae muliebrem curiositatem et cupiditatem recte significet, etsi non tam vividis coloribus quam hi Homerici versus (Odyss. XV, 459):

ἤλυθ' ἀνὴρ πολύϊδρις ἐμοῦ πρὸς δώματα πατρός
χρύσεον ὅρμον ἔχων, μετὰ δ' ἠλέκτροισιν ἔερτο·
τὸν μὲν ἄρ' ἐν μεγάρῳ δμωαὶ καὶ πότνια μήτηρ
χερσίν τ' ἀμφαφόωντο καὶ ὀφθαλμοῖσιν ὁρῶντο
ὦνον ὑπισχόμενοι.

Confer item Cicer. IV in Verr. c. 27, praeter locos quos affert Heinrichius.

Vs. 170—171.

Tolle *tuum* precor Hannibalem victumque Syphacem
in castris et *cum* tota Carthagine migra.

Tuum: quem semper in ore habes, crepas.

Cum tota C.: De praepositione *cum* Ruhnken. in Praefat. ad Scheller. Lex. in voce haec habet: „Nullo in lexico annotatum reperi, quod M. A. Muretus pulchre monuit ad Catullum pag. 864 praepositionem *cum* habere vim indignationis significandae. Plaut Epid. I, 1, 33; Mostell. II, 2, 33; Liv. V, 27."

Vs. 172—177.

„Parce, precor, Paean, et tu dea pone sagittas;
nil pueri faciunt, ipsam configite matrem!"
Amphion clamat, sed Paean contrahit arcum.
Extulit ergo greges natorum ipsumque parentem,
dum sibi nobilior *Latonae gente* videtur
atque eadem scrofa Niobe fecundior alba.

Latonae gente: Heinrich ad l. l. scribit: „gente, prole nobilior quam Latona." Sed *gens* et *proles* prorsus differunt. Textus videtur corruptus, et puto legendum esse: *Latonâ gente.* Sic demum hic versus bene respondebit sequenti. Niobe sibi videtur gente i. e. genere, origine, nobilior quam Latona, et foecundior quam scrofa alba. Sed ipsam Nioben audiamus gloriantem apud Ovidium (Met. VI, 170):

Quis furor auditos, inquit, praeponere visis
caelestes? aut, cur colitur Latona per aras?
numen adhuc sine thure meum est? mihi Tantalus auctor,
cui licuit soli superorum tangere mensas;
Pleiadum soror est genetrix mea; maximus Atlas
est avus, aetherium qui fert cervicibus axem,
Iuppiter alter avus, socero quoque glorior illo.
. . . .
Quaerite nunc, habeat quam nostra superbia causam.
quoque modo audetis genitam Titanida Caeo
Latonam praeferre mihi, cui minima quondam
exiguam sedem pariturae terra negavit!

Vs. 187—190.

Omnia Graece
[cum sit turpe magis nostris nescire Latine]
Hoc sermone pavent, hoc iram gaudia curas,
hoc cuncta effundunt animi secreta. Quid ultra?

Versus 188, qui in Cod. Gaybacensi 2 omittitur, a plerisque viris doctis spurius habetur. Unus, ni fallor, Heinrich, eius authentiam eo vindicare studet quod Iuvenalis hic illic, quasi in transitu, aliquas observationes adspergere et immiscere soleat, et quod hic notissimum Ciceronis (in Bruto § 140) locum ob oculos habeat. Sed etsi Heinrichio facile concedas hic respici ad illud Ciceronis dictum, inde tamen neutiquam huius versus authentia probari potest. Versus vehementer friget, vividissimam descriptionem offuscat, et orationis flumen prorsus abrumpit. Nam versus 189 tam arte cum versu 187 coniunctus est ut inde divelli nequeat quin statim obscurus fiat. Etenim, ut nunc legitur, verba „hoc sermone pavent" referenda sunt non ad „omnia Graece", sed ad proxime praegressum „Latine." Quod absurdum est. Praeterea quis non videt, quam debilis hic versus sit post verba (vs. 185): „nam quid *rancidius*"?

Si igitur, quod Heinrich. confidenter affirmat, versus 193 inepto monacho tribuendus est, non minori iure contendas versum, de quo hic agitur, inepto grammatico esse adscribendum qui intempestive sua monita ac praecepta inculcare voluerit.

Vs. 207.

Summitte caput cervice parata
ferre iugum: nullam invenies quae parcat amanti;
[ardeat ipsa licet, tormentis gaudet amantis
et spoliis. Igitur longe minus utilis illi
uxor, quisquis erit bonus optandusque maritus]
nil unquam invita donabis coniuge, etc.

Versus tres, quos inclusi, spurios habeo. Multa enim insunt, quae magnopere displicent. Primum quidem iteratio eiusdem vocis *amantis*, quum praesertim in fine proximi

versus praecedat *amanti*, auditu valde insuavis est (V, 148, VII, 15, 51; VIII, 163, 194).

Tum verborum constructio: „longe minus utilis illi uxor quisquis erit bonus optandusque maritus," pro „eo minus utilis est uxor, quo melior et optabilior est maritus," admodum contorta est, et vix Latina habenda. Tandem, quae hic dicuntur de *spoliis* i. e. de damnis, marito illatis, et de utilitate maiori minorive, quam uxor afferat aut non afferat, a consilio poetae plane abhorrent. Nam tum e versibus 207 et 208 proxime praecedentibus, tum e versibus 212 sequentibus, luculenter patet poetam non de damnosa sed de *imperiosa* cogitasse uxore, quae iugum servitutis marito imponat, quaeque tyrannide domestica eum uexet. Conferatur etiam Ribbeck. l. l. p. 171.

Vs. 247—251.

Vel quis non vidit vulnera pali?
quem cavat adsiduis *sudibus* scutoque lacessit,
adque omnes implet numeros, dignissima prorsus
florali matrona tuba, nisi si quid *in illo*
pectore plus agitat veraeque paratur harenae.

Sudibus: Facio cum Lipsio [1]) scribenti: „pro *sudibus* mallem *rudes*, et mecum vetus interpres, qui *ferulas* interpretatur." Hic enim de de lusoriis armis sermo est. Cic. de opt. gen. orat. 6. § 17 (de Isocrate): „non enim in acie versatur et *ferro*, sed quasi *rudibus* eludit [2]) oratio." In Dial. de orat. c. 34. § 5. Ritterus item, ex Fabrorum coniectura, recepit *rudibus*. Confer etiam Sueton. vit Calig. c. 32.

1) Milit. Roman. V, 14, pag. 343.

2) *Eludit:* An legendum: *ludit?* Cicer Orat. II, c. 20: „videant ad *ludendumne* an ad *pugnandum* arma sint sumturi. Aliud enim *pugna* et acies, aliud *ludus* campusque noster desiderat."

Vitiosa lectio *sudibus* facillime ex ultimis syllabis praecedentis vocis (ad*siduis*) oriri potuit.

Ceterum pro *in illo* mallem legere *in imo pectore*, ut verbum *agitat* idem, quod dicunt, subiectum haberet, quod *paratur* Praeterea ita melius ardentissimum feminae votum significaretur.

Vs. 261.

Aspice quo *fremitu* monstratos perferat ictus.

Non improbabilis est Marklandi coniectura legentis *gemitu*. Confer. vs. 267, et Cicer. Tusc. Disput. II, c. 23: „Nec vero unquam ne *ingemiscit* quidem vir fortis ac sapiens, nisi forte ut se intendat ad firmitatem, ut in stadio cursores exclamant, quam maxime possunt. Faciunt idem quum exercentur athletae; pugiles vero etiam quum feriunt adversarium in iactandis caestibus *ingemiscunt*, non quod doleant animove succumbant, sed quia profundenda voce omne corpus intenditur, venitque plaga vehementior."

Vs. 316—317.

Attonitae crinemque rotant ululantque *Priapi*
maenades.

Non audiendi sunt Rupertius et Heinrichius pro *Priapi* legi iubentes *Priapum*. Sensus enim est: „istae Bonae Deae cultrices revera unice colunt Priapum, sunt Priapi maenades." Sic fere iam intellexit Scholiasta.

Vs. 338—339.

Hi versus mihi quidem ualde inepti videntur. Nam non opus erat ut illa *Psaltria* accuratius describeretur; sequens vox eam (*Clodium*) satis significat. Versus 339 omni fere sensu communi caret. Num mus *femina* inde non fugit?

Vs. 357—360.

Multis res angusta domi, sed nulla pudorem
paupertatis habet, nec se metitur ad illum,
[quem dedit haec posuitque modum, tamen utile quid sit]
prospiciunt aliquando viri etc

Vs. 359 est et verbosior et languidus. Sine damno abesse poterat.

Vs. 395.

Hunc versum, monente v. Herwerdeno vir. clar., delendum esse puto, nam nihil est nisi languida explicatio verborum proxime praecedentium „magna otia coeli."

Vs. 479—485.

Hic frangit ferulas, rubet ille flagello,
[hic scytica, sunt quae tortoribus annua praestent.]
verberat adque obiter faciem linit, audit amicas
aut latum pictae vestis considerat aurum
et caedit, longi relegit transversa diurni
et caedit, donec lassis caedentibus „exi!"
intonet horrendum iam cognitione peracta.

Versus 480 a contextu respuitur. Nam in tam fervida et furiosa scena, qualis hic describitur, frigida ista admonitio „esse adeo matronas, quae tortoribus annua stipendia praestent," nullo modo, si quid video, ferri potest. Praeterea, parum probabile est tortoribus, qui procul dubio ex ipsis servis essent, unquam annuum stipendium datum esse. Puto igitur hunc versum insertum esse ab aliquo grammatico, qui metuebat ne quis putaret matronam ipsam esse subiectum verbi sequentis *verberat.* Quod secus esse sponte sua intelligitur: Confer. v. 414. — Sed, quod maioris est momenti, poeta hac dicendi brevitate con-

sulto usus est, ut et crudelitatem et mollitiem in eadem femina coniuncta esse efficacius ostenderet.

Nec ultimus versus admodum placet. Nam illud „intonet horrendum", est inanis flatus vocis, et parum convenit mollitiei delicatae feminae; cuius crudelitas et immanitas multo melius elucet, si illud „exi!" tenuiore, non graviore voce profertur. Accedit quod vocabulum *cognitio* alibi, ni fallor, numquam de ipsa *poena*, sed semper de *inquisitione* dicitur: Conf. VII, 228; XVI, 18.

Vs. 490—491.

Disponit crinem laceratis ipsa capillis,
nuda umero Psecas infelix *nudisque* mamillis.

Haud sine caussa Häckermann praefert vulgatam lectionem *componit;* quae melius opponatur „*laceratis* capillis" [1]. Nec valde displiceret si in altero versu legeretur: „*crudo* umero — *crudisque* m". Etiam Sat. VIII, 223 poeta hoc adiectivo paulo liberius usus est: „tam saeva *crudaque* tyrannide." Conf. etiam Vergil. Aen. X, 682; XII, 507; et Senec. Agamn. vs. 846 collat. Senec. Oed. vs. 93.

Vs. 495—496.

altera *laevum*
extendit pectitque comas et volvit in orbem.

Cum v. Herwerdeno v. cl. pro *laevum* legendum est *laeves;* ut sensus sit: „extendendo et pectendo levigat comas." Conf.: Ovid. Metam. XII, 409.

Vs. 530—531.

Credit enim ipsius Dominae se voce moneri.
en *animam* et mentem cum qua di nocte loquantur!

1) Der Pithoean. Cod. pag. 9.

Domina est frequens Isdis epitheton. Confer. Corp. Inscript. Graec. 4917: N. N. *ἥκω καὶ προσκεκύνηκα τὴν κυρίαν Ἶσιν καὶ πεποίηκα τὸ προσκύνημα τῶν φιλούντων με.*

Animam videtur esse legendum *animum.* Antiqui enim scriptores accurate distinguere solent *animam* et *animum;* ut illa significet vitae principium, ipsam vitam; *animus* autem sit id, in quo ratio et cogitatio inest. Sat. XIV, 15, 16:

> Mitem *animum* et mores modicis erroribus aequos
> praecipit atque *animas* servorum et corpora nostra
> materia constare putat paribusque elementis.

Sat. XV, 148, 149:

> Principio indulsit communis conditor illis
> tantum *animas*, nobis *animum* quoque.

Senec. Ep. 4: „difficile est *animum* perducere ad contemtionem *animae.*" Cic. de Fin. Bon. et Mal. IV. § 16, de Nat. Deor. II, c. 59, Cat. Maj. c. 11, pro Arch. c. 6. Stat. Silv. II, 103: „mens animusque."

Vergil. Aen. VI, 11 „mentem animumque." Horat. I Ep. 14, 8 „mens animusque."

Vs. 543.

> *Arcanam* Iudaea tremens mendicat in aurem.

Heinrichii coniectura *arcanum* non opus est. Nam „*arcanam in aurem*" idem est quod „in aurem *non rimosam*" (Horat. Sermon. II, 6, 46), „*tutam*" (Horat. I. Od. 27. 18), „*secretam*" Pers. V, 96), Confer etiam Stat. Thebaid. I, 246 „arcano de pectore," et 532 „tacitaque immurmurat aure." Sat. III, 122 „cum facilem stillavit in aurem."

Vs. 562—564.

> Nemo mathematicus genium indemnatus habebit,
> sed qui paene perit, cui vix in cyclada mitti
> contigit et parva tandem *caruisse* Seripho.

Caruisse: Non displicet Schraderi coniectura *latuisse;* quod verbum melius quam vulgata lectio respondet praegresso *mitti*, et de deportato, qui in parva insula commoratur, commode dicitur.

Senec. Herc. Fur. 460:

> „Non *latuit* infans rupis Idaeae specu."

Id. Phoeniss. 358:

> Nemo me his eruat
> silvis: *latebo* rupis exesae cavo
> aut sepe densa corpus abstrusum tegam.

Id. Octav. 381:

> Melius *latebam* procul ab invidiae malis
> remotus inter Corsici rupes maris.

Tacit. Ann. II, 85: „eaque (Vistilia) in insulam Seriphon *abdita* est."

Vs. 585—586.

> Divitibus responsa dabit Phryx augur *et inde*
> conductus, dabit astrorum mundique peritus.

Et inde: Ex quibusdam Codd. cum Hermanno videtur esse legendum *et Indus. Conductus* autem non est otiosum. quod Ribbeckius contendit [1]), sed contumeliose dicitur, ut Sat. II, 114: „*conducendusque* magister"; Sat. VI, 332: „*conductus* aquarius."

Formula „astrorum mundique peritus," similibus facile vindicatur: Martial. V Ep. 66, VII Ep. 55: „astra polumque;" Petron. c. 88: „astrorum coelique motus." Cic. de Divin. II, c. 44: „qui eodem statu coeli et stellarum nati sunt." Pompon. Mel. III, c. 2: „Hi (Druidae) terrae mun-

1) Der Echte und Unecht. Iuv., p. 168.

dique magnitudinem et formam, motus coeli ac siderum, ac quid dii velint, scire profitentur."

Vs. 620—623.

Minus ergo nocens erit Agrippinae
boletus, siquidem unius praecordia pressit
ille senis tremulumque caput *descendere* iussit
in coelum et longa manantia labra saliva.

Descendere: Hieron. Groslotius Lislaeus voluit: *escendere*, Claverius: *ascendere*. Malim *conscendere*. Acrior enim fiet apotheoseos irrisio, si senex tremulo capite et salivantibus labris in coelum conscendisse diretur. Praepositio *con* 1) quum in compositis a scribis librariis etiam per compendium scriberetur, lectio vulgata facillime existere potuit in hunc modum:

*Con*scendere, *c*scendere, *e*scendere, capu*d* *d*escendere.
Conferas variantes lectiones ad Sat. VIII, 266.

SATURA VII.

Vs. 10—13.

Et vendas potius, *commissa* quod auctio vendit
stantibus, oenophorum tripodes armaria cirtas
Alcithoen Pacci, Thebas et Terea Fausti.

Commissa: Non improbabilis videtur Rostii coniectura legentis *commista*, ut iam habet Editio Princeps Rom. Res enim, quae deinceps nominantur, tam diversissimi generis sunt, ut eorum auctio non incommode *commista* sive *commixta* dici possit. Nescio tamen an potius legendum sit „*commissa quot* auctio vendit." (Vergil. Aen. II, 331).

1) Rupertius, Index Cod. Manuss. Iuv. pag. CLVI.

Vs. 50—52.

Nam si discedas, laqueo tenet ambitiosum
[consuetudo mali, tenet insanabile multos]
scribendi cacoethes et aegro in corde senescit.

Merito Iahnius delevit versum 51. Primum enim nihil continet nisi interpretamentum sequentis versus. Tum displicet iteratio eiusdem verbi *tenet*, quod in praegresso versu occurrit; quo vitiorum genere pleraque interpolamenta laborant: Confer. vs. 15 et Sat. VI, 209. Tandem *multos* sapit pusillum grammatici alicuius animum, qui ab universe dictis abhorrebat. Vide quae adnotavimus ad Sat. III, 278 sqq.

Vs. 56—59.

Hunc (vatem egregium) qualem nequeo monstrare et sentio
anxietate carens animus facit, omnis acerbi (tantum,
inpatiens, cupidus silvarum *avidusque* bibendis
fontibus Aonidum.

Iure Iahnius Scholii lemma *avidusque* in textum recepit pro vulgata lectione *aptusque*, quae huic loco non convenit. Nam quum hic sermo sit de vate egregio, qui Musis vivere velit, prorsus inepte denuo inculcatur eum aptum, idoneum esse oportere bibendis fontibus Aonidum. Tum adiectivum, quod praecedit, *cupidus*, satis indicat hic non de maiore minoreve facultate poetica agi, sed de enthusiasmo sive furore quo veri nominis poeta fertur. Tandem „*apte* bibere" non dicitur sed „*cupide*, *avide* bibere." Cf. Cicer. Cat. Mai. c. 8.

Vs. 88—89.

Ille (Paris) et militiae *multis* largitur honorem
semenstri vatum digitos circumligat auro.

Variis coniecturis hic locus a criticis tentatus, sed mon-

dum sanatus est, ut mihi quidem videtur. Caussam autem cur tam diu in mendo iacuerit in eo positam esse puto quod interpretes non satis attenderunt ad symmetriam sive congruentiam quae in utroque versu invenitur.

Primo adspectu iam animadvertimus utroque versu de eadem re agi, de honoribus et privilegiis militaribus, quibus Paris, aulicus hoc tempore [1]) potentissimus, poetas ipsi gratos augere soleret. Verba enim *largitur honorem* respondent verbis alterius versus *digitos circumligat auro;* vox *militiae* respondet adiectivo *semenstri.* Quum autem *multis* et per se parum conveniat, nec bene quadret cum voce *vatum*, corruptum esse videtur et mutandum in *Musis.* Fortasse eodem modo legendum est versu 96. Ceterum ne asyndeton offensioni sit, consulantur Sat. II, 51, 58; III, 278; V, 41, 142; VI, 35, 253, 419, 510; VII, 231; VIII, 190.

Vs. 171—173.

Ergo sibi dabit ipse rudem, si nostro movebunt
consilia, et vitae diversum iter ingredietur
ad pugnam *qui* rhetorica *descendit* ab umbra etc.

Qui-descendit: Hunc locum Heinrichius non intellexit, qui interpretetur *ita ut descendat*, et legi iubeat: *qui descendat.* Lectio vulgata sana est. Verba autem construenda sunt hoc modo: „Ille ergo, qui ab umbra rethorica descendit ad pugnam ne pereat summula, qua vilis frumenti tessera venit (quippe haec est lautissima merces) sibi ipse dabit rudem et diversum vitae iter ingredietur, si nostra monita eum movebunt."

1) Tempore *Domitiani?* Vide Friedländ. l. l. t. III, pag. 411 sqq. et t. II, pag. 459.

Vs. 190—194.

Felix et pulcher et acer
felix et sapiens et nobilis et generosus
[adpositam nigrae lunam subtexit alutae]
felix orator maximus et iaculator
et, si perfrixit, cantat bene.

Versum 192 spurium habeo. Primum enim divellit verborum cohaerentiam; nam manifestum est tria illa membra quae singula voce *felix* incipiant, non commode posse seiungi, sed continuo esse pronuntianda.

Tum alienus videtur a poetae consilio. Sensus enim est: si quis felix est, tunc omnibus corporis et animi dotibus et facultatibus praeditus *habetur* vs. 194. Notioni autem *senatoris* hic nullus locus est; nam senatoria dignitas non in *opinione* hominum, sed in *re ipsa* posita est.

Vs. 194—200.

Distat enim quae
sidera te excipiant modo primos incipientem
edere vagitus et adhuc a matre rubentem.
[si Fortuna volet, fies de rhetore consul:
si volet haec eadem fies de consule rhetor]
Ventidius quid enim? quid Tullius? anne aliud quam
sidus et occulti miranda potentia fati?

Versus 197 et 198, quos uncinis inclusi, interpolatos esse puto, non, quod nihil quam locum communem contineant, sed quia a contextu alieni sunt. Nam hic non universe de Fortuna eiusque vicibus et mutationibus sermo est, sed specialiter de *Sideribus*, de astris agitur, quae summam vim in nascentem hominem exerceant totamque eius vitam moderentur. Quam Siderum potentiam ut probet, poeta deinceps provocat ad Ventidii Bassi et Servii

Tullii fata, qui infimo loco nati, Sideribus faventibus, ad summos honores adscenderint. Quid aliud, inquit, quam Sidus et occulti potentia fati his viris eam felicitatem attulit?

Eiectis igitur ambobus versiculis omnia recte cohaerent et certo ordine procedunt.

Pro *excipiant* (vs. 195) in Cod. Kulenkamp. et aliquot antiquis Editionibus legitur *accipiant*. Malim *aspiciant:* Conf. Orellius ad Horat. II. Od. 17, 17.

Ceterum de vi fatali, quae imprimis in orbe signifero inesset, videatur Cic. de Divin. II, c. 42.

Vs. 215—218.

Quis gremio Celadi doctique Palaemonis adfert
quantum grammaticus meruit labor? et tamen ex hoc
[quodcunque est, minus est autem quam rhetoris aera]
discipuli custos praemordet etc.

Versus 217 videtur ineptum additamentum, quo facile careamus; nam sponte sua intellegitur mercedem grammatici minorem esse quam rhetoris, eamque satis tenuem praecedenti versu abunde significatur.

Vs. 219—224.

Cede, Palaemon,
et patere inde aliquid decrescere, non aliter quam
institor hibernae tegetis niveique cadurci,
dummodo non pereat, mediae quod noctis ab hora
sedisti, qua nemo faber, qua nemo sederet,
qui *docet* obliquo lanam *deducere* ferro.

Docet: videtur esse mendosum; nam non satis commode de homine *lanario* dicitur, cuius non adeo est alios *docere* suam artem, quam ipsum carminando tenuem victum quaeritare. Homines autem id genus solitos fuisse laborem

suum in multam noctem producere satis notum est. Puto igitur pro *docet* legendum esse *solet*.

Quae coniectura commendari videtur vss. 53 et 54:

Sed vatem egregium, cui non sit publica vena,
qui nihil expositum *soleat deducere* etc.

Eadem verba, etsi alio sensu, coniunguntur in Sat. III, 286. Verbum autem *solet* eo facilius a scribis librariis in *docet* corrumpi potuit, quoniam grammaticus, cuius est *docere* pueros, cum lanario artifice comparatur. Oscitantes scribae non animadverterunt tertium, quod dicunt, comparationis positum esse in *sedendo* in multam noctem.

Idem verbum *solet* scribendum videtur pro *volet* in Sat. VI, 397.

Vs. 240—241.

Ne faciant vicibus. Non est leve tot puerorum
observare manus oculosque *in fine* trementis.

In fine: Ribbeckius scripsit *infame*. Sed versiculi indigni sunt qui emendentur. Redolent enim ineptum alicuius grammatici ingenium. Valla iam monuit eos esse spurios; cui lubens credam; nam miserrima hac ludimagistri querela vis praecedentium valde debilitatur.

SATURA VIII.

Vs. 16—18.

Si tenerum attritus Catinensi pumice lumbum
squalentes *traducit* avos, emptorque veneni
frangenda miseram funestat imagine gentem.

Traducit: Häckermannus [1]) praefert vulgatam lectionem

1) Der Pythoean. Cod. pag. 34.

producit: quo verbo inanis eorum ostentatio significetur qui ex armariis imagines maiorum proferant iisque glorientur. At falli videtur vir doctus; nam hoc loco de *ignominia* agi, qua molles isti et effeminati posteri squalidos avos afficiant, luce clarius est. Verba enim „miseram *funestat* gentem" egregie respondent iis, quae hic legimus: „squalentes traducit avos."

De verbo *traducere* vid. Sat. II, 159.

Vs. 31—33.

Nanum cuiusdam Atlanta vocamus,
Aethiopem cycnum, *parvam* extortamque puellam
Europen.

Iure, opinor, Iahn. scribit *parvam* pro vulgata lectione *pravam*. Nam *pravam* satis otiose cum *extortamque* coniungitur. Conferenda est Graecorum locutio, qua formosa puella describitur: *καλὴ καὶ μεγάλη*.

Vs. 85—86.

Dignus morte perit, *cenet* licet ostrea *centum*
Gaurana et Cosmi toto mergatur aeno.

Pro *centum* Schrader. coniecit *tantum* vel *secum;* Withofius *nequam*. Quod prorsus otiosum est post *dignus-morte*. Si quid mutandum est, maluerim *noctu*. Confer. Sat. VI, 302; X, 235. Temporis significatione opus esse videtur.

Vs. 96.

Verba Scholiastae *si damnatur iudex*, videntur corrigenda: *si damnat eum iudex*.

Vs. 108—110.

Nunc sociis iuga pauca boum, grex parvus equarum
et pater armenti capto eripiatur agello,
ipsi deinde *lares*, si quod spectabile signum.

In ultimo versu, ni fallor, aliquod vitium latet; nam in eo et aliquid deesse et simul aliquid abundare videtur. Deest notio *domus* sive *aedium*, quae respondeat septo *agello*. *Lares* autem et abundat et deinceps satis incommode per *signum* explicatur. Coniicio ergo pro *lares* legendum esse *lari* i. e. aedibus: Sat. III, 110, VIII. 14; Horat. Serm. I, 2, 56: „fundumque laremque."

Quam coniecturam probabilem esse patet ex sequenti versu spurio[1]), „si quis in aedicula deus unicus", qui nihil nisi praecedentium interpretationem continet. Verba enim *in aedicula* respondent *lari*, et *deus unicus* explicant *spectabile signum*.

Mendum eiusdem fere generis sustulit Iahn. ad Sat. X, 343.

Obiter notandus est Heinrichii error, qui pro *unicus* legi iusserit *unus*. *Unicus* satis recte explicat *spectabile*.

Vs. 120.

Cum *tenues* nuper Marius discinxerit Afros.

Tenues: Fortasse legendum est *tunicis*.

Vs. 131—133.

Tu licet a Pico numeres genus, altaque si te
nomina delectant, omnem Titanida *pugnam*
inter maiores ipsumque Promethea ponas.

Pro *pugnam* mallem scriptum esset *pubem;* nam de *genere*, et de *maioribus* sermo est.

Vs. 146—148.

Praeter maiorum cineres adque ossa volucri
carpento rapitur pinguis Lateranus, et ipse,
ipse rotam astringit *multo* sufflamine consul.

1) Versus 111 et 112 spurios esse jam vidit Manso, Vermischt Abhandl. pag. 246.

Multo: satis supervacuum esse puto; nam *uno* tantum sufflamine opus erat. Maluerim igitur legere „*multus* sufflamine consul," ut ipse Lateranus omnes suas vires intendisse dicatur ad rotam sufflaminandam. Quod procul dubio multo gravius est! — In Sat. XVI. 50 dicitur quidem „*longum* sufflamen"; sed *metaphorico* sensu.

Vs. 157.

Scholiasta ad lemna „Solam Eponam" annotavit: „Quia mulio est, qui consulitur. Epona dea mulionum est." Quae verba videntur sic corrigenda: „Quasi mulio sit, qui consul est."

Eodem modo in Scholio ad Sat. VII, 78 pro *quia* scribendum est *quasi*.

Vs. 175.

Scholiasta habet: „ubi *nobiles* inter sceleratos *putas*." Fortasse legendum est *nobilis* et *cubat*.

Vs. 199.

Haec ultra quid erit nisi *ludus?*

Rupertius explicat: „post haec quid videbimus in urbe praeter ludos." Heinrichius tamen recte monet *haec ultra* non significare *post haec*, sed *ultra haec si proceditur*, einen Schritt weiter, so ist nichts in Rom als ludus. Sed vox *ludus* admodum tenuiter dicitur, et huic loco parum convenit, nam poeta non de levitate animi agit, quae Romae regnet; sed de ignominia agit, qua urbs a nobilibus et primariis viris afficiatur. Inveniri enim qui maiorum dignitatis immemores in scenam prodire non dubitent, vilissimas mimorum personas lubenter agant, atque adeo ut gladiatores se vendant [1]). „Quid, inquit, ultra erit?

1) Friedländer, l. l. t. II, pag. 179: „Und doch galt die Arena für noch schimpflicher als die Rennbahn und das Theater."

Quaenam gravior ignominia addi poterit?" Et ipse poeta interrogando respondet: „quid nisi ...... ut nobilis aliquis vir tanquam *vilis retiarius* in arenam descendat?" Hanc enim significationem inesse in voce, cuius locum *ludus* occupavit, manifesto, ni fallor, patet ex iis, quae sequuntur:

et illud
dedecus urbis habes, nec myrmillonis in armis
nec clipeo Gracchum pugnantem aut falce supina.
nec galea faciem abscondit, movet ecce tridentem,
postquam vibrata pendentia retia dextra
nequiquam effudit, nudum ad spectacula voltum
erigit et tota fugit agnoscendus harena.
credamus tunicae, de faucibus aurea cum se
porrigat et longo iactetur spira galero.
ergo ignominiam graviorem pertulit omni
vulnere cum Graccho iussus pugnare secutor.

Ex hac igitur descriptione videmus Gracchum tamquam retiarium in arenam descendisse. Quum autem retiarii omnium gladiatorum vilissimi haberentur, propterea quod *tunicati* in circum prodibant (Sat. II, 143, 144), quumque *tunicatus* idem sit qui *nudus* (Sat. IV, 100), coniicio pro *ludus* legendum esse *nudus*.

Fortasse quis putet leniore medicina hunc locum posse sanari, si legatur *ludius* (Sat. VI, 82). Sed secus esse videtur; nam *ludius* universe significat gladiatorem; hic vero specialiter de *retiario* sermo est, qui propter nuditatem omnium turpissimus erat. Hi enim ignominiae gradus erant, primum ut quis in scenam *sub persona* prodiret, tum ut transiret *ad galeam*, tandem ut *tunicatus* et *aperto vultu* in arena pugnaret [1]).

1) Friedländer loco laudato. Senec. Quaest. Natural. VII. c. 31: „Pri-

Ceterum de retiario, tunica induto, de eius balteo, iaculo (s. rete), galero (s. humerali tegumento loreo), spira (s. amento, quod galero annexum, a sinistro humero per pectus et dorsum ad dextrum latus descendebat, cuique alligatus erat iaculi funis), fuscina (s. tridente) conferatur Friedl. t. II, p. 384.

Versus autem 202 „damnat enim tales habitus et damnat et odit," non dimidio tantum, ut Hermanno et Ribbeckio videtur, sed totus est delendus; quia armaturae descriptionem inepte abrumpit, nec quidquam continet quod ad rem pertineat. Nam non quaestio est quid de aliorum armis habituque senserit vel dixerit Gracchus, sed potius describendum est quibus armis et quali habitu indutus ipse Gracchus in publicum prodierit. *Habitu* enim retiarii summam ignominiam urbi afferebat. Unde simul patet cur sequentia verba „*nec galea faciem abscondit*," quae ab iisdem viris doctis resecantur [1]), prorsus deesse non possint. Nam iustae armaturae ceterorum gladiatorum, quae maxime clipeo falce et galea constabat, opponitur *nuditas* retiarii. Conferatur inprimis versus 205.

Vs. 231—244.

Quid, Catilina, tuis natalibus atque Cethegi
inveniet quisquam sublimius? arma tamen vos
nocturna et flammas domibus templisque *paratis*,
ut Bracatorum pueri Senonumque minores,
ausi quod liceat tunica punire molesta.
sed vigilat consul vexillaque vestra coercet.

---

vatim urbe tota sonat *pulpitum*. In hoc viri, in hoc feminae tripudiant. Mares inter se uxoresque contendunt, uter det latus illis. Deinde *sub persona* cum diu trita frons est, transitur *ad ganeam* (l. galeam)." Tacit. Ann. XIV. c. 20. § 5—10.

1) Der Echt. und Unecht. Iuv. pag. 105 sqq.

hic novus Arpinas, ignobilis et modo Romae
municipalis eques, galeatum ponit ubique
praesidium attonitis et *in omni monte* laborat.
tantum igitur muros intra toga contulit illi
nominis ac tituli, *quantum in Leucade*, quantum
Thessaliae campis Octavius abstulit udo
caedibus adsiduis gladio; sed Roma parentem,
Roma patrem patriae Ciceronem libera dixit.

Versus praeclari, dignissimi sane qui levibus maculis, quibus adfecti sunt, purgentur et in pristinum restituantur nitorem.

Merito Iahnius pro vulgata lectione *parastis*, e Cod. Pithoeano in textum recepit *paratis*. Praesens enim tempus hic requiri patet tum e vivida, qua poeta utitur, apostrophe, tum ex sequentibus formis *vigilat*, *coercet*, *ponit*, *laborat*, quibus res oculis quasi subiiciuntur.

Vs. 239: *et in omni monte laborat.* Ultimum verbum sanum est, caetera vitiosa videntur. Nec de lectione quidem satis constat, codices enim variant. Alii habent *monte*, quod valde otiosum est post *ubique*, quod versu praecedenti legitur; alii, ut Scholiasta refert, habebant *ponte*, quod item languet atque antiquariam annotationem sapit; alii codices habent *gente*, quod Heinrichius vindicat et interpretatur *omnem populum Romanum totamque Italiam.* Sed *gens* eo sensu non dicitur. In codice Pithoeano erasis primis vocis literis legitur . . *nte*. Tandem in Cod. Biblioth. Vatic. Urbin. 661 exstat lectio *mente*. Haec vox, ni egregie fallor, primo conspectu iam habet quo se commendet. Nam quum in praecedentibus satis superque describatur quanto opere Cicero, de quo hic sermo est, securitati urbis prospiciat, quippe qui vexilla Catilinaria coerceat atque ubique praesidia armata ponat, quae vim et iniu-

rias ab attonitis civibus propellant [1]); non opus est ut poeta diutius rebus militaribus exponendis immoretur. Eoque minus hoc opus est, quia Cicero, ut satis notum, rerum militarium peritia non adeo valebat; sed potius in toga patriae suae omni modo prodesse studebat. Gloriari Cicero solebat non quod armis Catilinae socios oppressisset, sed quod togatus, consilio auctoritate prudentia salvam praestitisset rempublicam. Quoniam autem verba „*mente* laborat" magis ad togam quam ad sagum pertinent, puto lectionem *mente* ceteris longe praeferendam esse; quum praesertim sequenti versu (240) *togae* tribuatur quod Cicero Patris Patriae nomine ornatus fuerit. At recepta voce *mente*, statim in oculos incurrit praecedentia *et in omni* stare non posse, sed necessario mutanda esse. Nec eorum sanatio admodum difficilis videtur. Nam quum substantivum *mente* aliquod adiectivum desideret, fere sua sponte se offert *exsomni* [2]). Quae coniectura etiam iis verbis commendari videtur, quibus laudationem Ciceronis inchoavit poeta (vs. 236) „sed *vigilat* consul."

Eandem laudem Maecenati tribuit Velleius Paterculus (II, c. 88): „C. Maecenas, equestri, sed splendido genere natus, vir, ubi res *vigiliam* exigeret, sane *exomnis*." Idem scriptor de Aelio Seiano in fine laudationis affirmat eum virum esse „animo *exomnem*" [3]) (II, c. 127). Conferas etiam

---

1) Cicer. de Offic. I. c. 22. „Nobis Rempubl. gubermantibus nonne togae arma cessere?" Cicer. de Offic. III. c. 23; pro Sent. c. 46 sqq. Philip. II. c. 8.

2) Idem fere mendum latere videtur in Sil. Ital. Pun. III, 327:

> Cantaber ante omnes, hiemisque aestusque famisque
> invictus palmamque *ex omni* ferre labore.

Ubi scribendum puto *exomni* vel *exsomni*.

3) De discrimine vocis *insomnis* et *exsomnis*, Doederlein, in Handbuch der Latein. Synonymik, sub voce *vigil*, haec monet: „*Vigil* bezeichnet den Zustand des Wachens *positiv* und involvirt Bewuztsein und Willen und Anwendung der Lebenskraft, wie *wach*, ἄγρυπνος; dagegen *insomnis* und *exsomnis* bezeichnen ihn nur negativ (?) wie *schlaflos*, ἄυπνος; aber der insomnis *kann* nicht schlafen, der *exsomnis will* nicht schlafen."

Salust. Catil. c. 52. § 29 „vigilando, agendo, bene consulendo, prospere omnia cedunt."

Quod ad vulgatam lectionem attinet, opinor, eam e dittographia ortam esse, qua primae syllabae vocis *exsomni*, vel potius *exomni* (ita enim in Codd. et antiq. edition. legi videtur), ab aliquo grammatico particula *in* superscripta esset. Postea autem vitiosa lectione *monte*, fortasse e versu 245 exorta, necesse fuit ut dittographia evanesceret ac dissolveretur in *et in omni*. De asyndeto vid. Sat. VII, 88.

Vs. 241 *quantum in* Leucade: Metrum docet voculam *in* vitiosam esse. Vulgata lectio *non* non nisi difficile explicatur. Quod etiam valet de coniectura Ribbeckii: *vix*. Iahnius autem dubitanter proponit legendum *sibi*. Maluerim tamen ex Scholiastae annotatione recipere: *sub Leucade*.

Vs. 251.

In scholio ad h. l. pro „*corvis avibus*" legendum est *corvis avidis*.

Vs. 272—275.

> Et tamen ut longe repetas longeque revolvas
> nomen, ab *infami* gentem deducis asylo:
> maiorum primus quisquis fuit ille tuorum,
> aut pastor fuit *aut illud* quod dicere nolo.

Aut illud: Rupertius haec habet: „homo nefandus, ἀποφράς, maleficus, vel servus vel obaeratus, quae tria hominum genera ad asylum confugisse tradit Plutarchus." Sed haec parum placent: Nam quum poeta modo ab *infami asylo* omnes omnino Romanorum gentes repetendas esse affirmaverit, sequitur ut iam aliud quid quam ἀποφράδα

significare voluerit. Putaverim eum in animo habuisse vocem *raptor*, quae per paronomasiam quandam facile ex praecedenti *pastor* elici potest, si modo legatur:

„*aut pastor* fuit *aut* } *raptor* / illud { quod dicere nolo.

Confer VI, 132 „lupanaris-pulvinar."

SATURA IX.

Vs. 28—31.

Pingues aliquando lacernas,
munimenta togae, duri *crassique* coloris
et male percussas textoris pectine Galli
accipimus.

Ribbeckius [1]) delet versum 29 ut inane glossema. Num satis recte, dubito; nam indignatio homines facit verbosiores. Ceterum pro *crassique* legere maluerim *russique* vel *rufique*. Conf. Martial. XIV Ep. 129.

Vs. 147—150.

votum miserabile, nec spes
his saltem; nam cum pro me Fortuna rogatur,
adfixit ceras illa de nave petitas,
quae Siculos cantus effugit remige surdo.

Nec-saltem: pro *ne-quidem*, more labentis Latinitatis.

Adfixit: videtur esse mendosum, nam de molli materia non commode dicitur. Dubito an legendum sit *adfricuit* i. e. allevit.

Senec Ep. VII: „Nemo non aliquid nobis vitium aut commendat, aut inprimit, aut nescientibus *allinit*." Et

1) Der Echt. u. Unecht. Iuv. p. 133.

paulo post: „malignus comes quamvis candido et simplici rubiginem suam *adfricuit*." Apulei. Metam. III, p. 138 Elm: „ indidem egesta *unguedine* palmulis *adfricata*."

SATURA X.

Vs. 19—22.

Pauca licet portes argenti vascula puri,
nocte iter ingressus gladium *contumque* timebis
et mota ad lunam trepidabis harundinis umbras;
cantabit vacuus coram latrone viator.

Contumque: Non intellegitur *Sarmaticus* contus, ut Ribbeckius voluit [1]), sed nautarum pertica, (Verg. Aen. V, 208; VI, 302; IX, 510; Tacit. Ann. XIV, c. 5); ut satis apparet ex sequenti versu, ubi *motae harundinis* mentio fit. Scena est ad *Pomptinam* paludem: Sat. III, 307. *Nautas* et fures saepissime coniungi notissimum est: Sat. VIII, 174. Ceterum, pulchritudinem huius loci sensit Boëthius (de Consolat. Philosoph. l. II): „Tu igitur, qui nunc contum gladiumque pertimescis, si vitae huius callem vacuus viator intrasses, coram latrone cantasses."

Vs. 31—32.

Sed facilis cuivis rigidi censura cachinni;
Mirandum est, unde ille oculis suflecerit umor.

Non immerito Heinrichius hos versiculos interpolationis suspectos habet; nam et per se valde insipidi sunt, et quia risum et fletum utriusque philosophi de quibus hic agitur, improbant, adversa fronte pugnant cum iudicio

1) Der Echte u. Unechte I. pag. 54.

poetae, qui satis honorifice de Democrito sentit, quippe cuius prudentia monstret (vs. 49, 50):

> Summos posse viros et magna exempla daturos
> vervecum in patria crassoque sub aere nasci.

Vs. 41—42.

> Quippe tenet sudans hanc publicus et, sibi *consul*
> ne placeat, curru servus portatur eodem.

Haec verba vere inepta sunt, fortasse spuria. Continent enim intempestivam antiquariam animadversionem, habent incommodam constructionem, nec satis conveniunt cum iis, quae versu 36 leguntur, ubi de *praetore* non vero de *consule* agitur. De particula caussali *quippe* confer Sat. III. vs. 241.

Vs. 45—46.

> Quirites,
> *defossa* in loculis quos sportula fecit amicos.

Pro *defossa* fortasse legendum est *deposta.*

Vs. 60.

Scholion habet haec: „Propriis moribus dignam sustinuerunt sententiam, ex quo *ostendit per hoc vitam* nobilium." Fortasse scribendum est *ostenditur noxium* (vel *pernoxium*) *votum* nobilium.

Vs. 76.

> *Hac ipsa* Seianum diceret *hora*
> Augustum.

In scholio pro *cum* legendum est *nunc.*

Vs. 81.

> Panem et circenses.

Simile dictum de Alexandriae incolis exstat apud Dion. Chrys. Orat. XXXII, 370 M.: *καὶ πρότερόν τινα εἰρηκέναι*

φασί· τὸ δ' Ἀλεξανδρέων πλῆθος τί ἂν εἴποι τις, οἷς μόνον δεῖ παραβάλλειν τὸν πολὺν ἄρτον [οὕτω γὰρ εἰρῆσθαι πολὺ βέλτιον] καὶ θέαν ἵππων· ὡς τῶν γ' ἄλλων οὐδενὸς αὐτοῖς μέλει. Et Fronto Princip. Histor. V, 11 scribit: „Populum Romanum duabus praecipue rebus, *annona* et *spectaculis* teneri." Ex quibus locis haud improbabile Friedländerus effecit, hoc dictum ab aliquo imperatore vel primario viro esse profectum [1]).

Vs. 92—94.

> tutor haberi
> principis *augusta* Caprearum in rupe sedentis
> cum grege Chaldaeo.

Recte, opinor, Arntzenius (ad Plin. Panegyr., cap. 23, pag. 112) monet: „*angusta* ibi (i. e. nostro loco) legendum esse satis certum, si cogites, Seianum omnia *toto orbe* potuisse cum interim in *parva* Caprearum insula otiose lateret Tiberius. Nec aliter volebat Vossius filius, et eadem mens fuit patri in Etymolog. voce *ango.*" Lectio autem *augusta* originem suam videtur debere praecedenti voci *principis.*

Vs. 102.

Ulubris: Ab Horatio (Lib. I. Ep. 11, 30) altera huius vocis syllaba corripitur.

In Scholio ad h. l. pro verbis corruptis *aut iuxta Romam* legendum puto *est iuxta Pomptinam paludem.* Cf. Cicer. ad Divers. VII, 18.

Vs. 108—109.

> Quid Crassos, quid Pompeios evertit, et illum
> ad sua qui *domitos* deduxit flagra Quirites?

Minus recte Arntzenius (ad Latin. Pacat. Panegyr. c. 30)

---

1) Friedländer, l. l. t. II, pag. 152 et pag. 200.

pro *domitos* legendum proponit: *dominos*. Locus Vergilii (Aen. I, 282), ad quem provocat, huc non pertinet; nam habet *Romanos*, non vero *Quirites*.

Poeta videtur respicere ad illos tumultuantes milites, quos C. Caesar uno verbo Quirites vocando compescuisse dicitur: Tacit. Ann. I, cap. 42; Sueton. in vit. Caes. c. 70.

Vs. 130—132.

Quem (Demosthenem) pater ardentis massae fuligine lippus
a carbone et forcipibus gladiosque parante
incude et *luteo* Vulcano ad rhetora misit.

Luteo: Merito haec vox Ribbeckio [1]) displicet; nam eiusmodi epitheton Vulcano neutiquam convenit. Iacobsius pro eo substitutum voluit *tuto*. Parum poetice, si quid video. Fortasse non ineptum foret *rutilo*: Verg. Georg. I, 454 „rutilo igni"; Ovid. Metam. XII, 294 „flammae rutilae".

Vs. 150.

Rursus ad Aethiopum populos *altosque* elephantos.

Plathnerus et Iacobs. coniecerunt pro *altosque* legendum esse *albosque*. Quod tamen parum probabile videtur; nam albi elephanti in Africa non reperiuntur, sed tantum in Asia Orientali, in Birmania, Romanis ignota.

Vulgata lectio satis recte se habet. Conferas versum Manil. Astron. IV, 667:

„Et *vastos* elephantos habet saevosque leones."

Vs. 171.

Cum tamen a figulis munitam intraverit *urbem*
sarcophago contentus erit (Alexander).

1) Der Echte u. Unechte Iuv. pag. 57.

Dorleans [1]) pro *urbem* legi maluit *urnam*. Sed refellitur tum sequenti voce *sarcophago*, tum vel his Ovidii versibus (Metam. IV, 57):

ubi dicitur altam
Coctilibus muris cinxisse Semiramis urbem.

Vs. 193—195

et tales aspice rugas,
quales, umbriferos ubi pandit Thabraca saltus,
in vetula scalpit iam mater simia bucca.

Et tales: Haec verba corrupta esse, non dubium est; nam et admodum tenuiter dicuntur, nec usquam alibi apud Iuvenalem adiectiva, quae dicuntur correlativa, „talis qualis", reperiuntur; locus enim XI, 99 spurius est. — N. Heinsius legi voluit: *et aniles*; quam coniecturam etiam Ruhnkenius [2]) videtur probasse. Verum quia de *sene* sermo est adiectivum *aniles* quodammodo languet. Exspectaveris potius *turpes*; quia senis facies cum *simiae* bucca comparatur: Horat. IV. Od. 13, 11 et Cicer. de Nat. Deor. I, c. 35, qui laudat Ennii versiculum: „simia quam similis *turpissima* bestia nobis."

Vs. 232—239.

Sed omni
membrorum damno maior dementia, *quae* nec
nomina servorum nec vultum agnoscit amici,
cum quo praeterita cenavit nocte, nec illos,
quos genuit, quos eduxit, nam codice *saevo*
heredes vetat esse suos, bona tota *feruntur*
ad Phialen; tantum artificis valet halitus oris,
quod steterat multis in carcere fornicis annis.

1) Ad Tacit. Annal. III, p. 329.
2) Praefat. ad Scheller. Lexic. pag. XIII.

Quae: Maluerim *qua*, ut verbum *agnoscit*, idem, quod dicunt, subiectum habeat quod *cenavit*, *genuit*, *eduxit*.

Codice saevo: Quo sensu hoc testamentum *saevum* dicatur, non bene perspicio. Quod, quum varias ob caussas invalidum esset, veris heredibus nullum damnum afferre poterat. Nec magis hoc adiectivum aptum est ad animum testatoris significandum. Senex enim, de quo hic sermo est, non est durus vel inofficiosus in suos, sed est demens. Praetulerim igitur cum Plathnero lectionem *scaevo;* non quod eo significaretur hoc testamentum contra legis normam factum esse; — talis enim admonitio prorsus supervacua erat; — sed quia per hunc codicem senex capularis occulta adolescentiae suae flagitia ipse in claram lucem protulerat. Tandem pro *feruntur* puto scribendum esse *feruntor*: quia hoc testamentum nullum erat [1]).

Vs. 243—245.

Haec data poena diu viventibus ut, renovata
semper clade domus, multis in luctibus inque
perpetuo *maerore* et nigra veste senescant.

Maerore: Immerito Wakefield scribi iussit *paedore*, nam ita sequentia „nigra veste," valde languescerent.

Vs. 257.

adque alius, cui *fas* Ithacum lugere natantem.

Cui fas: i. e. *quem decet.* Fas saepissime dicitur ubi de pietatis officio erga defunctos rite fungendo sermo est. Conf. Tacit. Agric. c. 46; Plin. II Ep. 1. § 10; Propert.

1) De inofficioso testamento confer. Inst. Iustin. II. t. 18, et Heineckius, Recitat. ad Instit. § 570 sqq.

13, 52; Stat. Theb. XII, 79. Ald. Manutius ad Cicer. Cat. Mai. c. 23 habet hanc inscriptionem sepulcralem:

Quod. fas. parenti.
facere. debuit. filius.
mors. immatura. fecit.
ut. faceret. parens.

Ribbeckius autem in omnia alia abit. Videatur eius liber saepius laudatus pag. 55.

Vs. 263—264.

Si foret exstinctus diverso tempore, *quo non*
coeperat audaces Paris aedificare carinas.

Quo non: Altera lectio *quo iam*, quae in aliquot codicibus reperitur, multo elegantior est. Maior enim vis inest in aiendo quam in negando.

Vs. 283—285.

Provida Pompeio dederat Campania febres
optandas, sed *multae* urbes et publica vota
vicerunt.

Ruhnkeniana coniectura, qua pro *multae* legitur *moestae*, Heinrichii certe interpretatione non convellitur. Putat scilicet Heinr. vulgatam lectionem ita posse vindicari ut statuamus *multas urbes* opponi *uni Campaniae* [1]). Sed vir doctus, id quod saepius in Iuvenale interpretando ei accidit, aliena immiscet. Nam in textu nihil quidquam de illa *una* Campania legitur; immo ipsa verborum collocatio satis docet potius urgendam esse notionem *provida.* Herelius coniecit: *pullae urbes.* Quod non est probandum; nam *pulla*

1) Heinrich. ad h. l.: Dennoch scheint *multae urbes* absichtlich gewählt, als Gegensatz von der einzigen Campania; daher auch *vicerunt.*

non de *persona* sed de *re* dici solet; nec Iuvenalis usquam voce *pullus* pro *atro* vel *nigro* usus est; nam in Sat. III, 94 vulgatam lectionem recte tuetur Häckermannus [1]).

Vicerunt: Conferendus est Suetonii locus in vita Caesaris cap. 1: „Satis constat Sullam, cum deprecantibus amicissimis et ornatissimis viris aliquamdiu denegasset, atque illi *pertinaciter* contenderent, *expugnatum* tandem proclamasse (sive divinitus sive aliqua coniectura): „*vincerent ac sibi haberent* etc."

Vs. 293—295.

Sed vetat optari faciem Lucretia qualem
ipsa habuit, cuperet Rutilae Verginia *gibbum*
accipere adque *suam* Rutilae dare.

Pro *gibbum-suam* restituendum esse puto *tergum-suum*. Nam *suam* referri nequit ad *faciem*, quod versu 293 legitur ubi de alia re et de alia femina quae non comparatur, sermo est. Lectio *gibbum* est glossa marginalis; *suam* est correctio alicuius grammatici.

Vs. 357—362.

Fortem posce animum, mortis timore carentem,
qui *spatium vitae extremum* inter munera ponat
Naturae, qui ferre queat quoscumque *labores*,
nesciat irasci, cupiat nihil et potiores
Herculis aerumnas credat saevosque labores
et Venere et caenis et pluma Sardanapalli.

Spatium vitae extremum: Ribbeckius immerito vituperat haec verba, scribens: „soll heissen": summam senectutem. „Denn wie jung der mensch auch sterben mag einen „letzten Tag" [2]) schenkt ihm die Natur immer." Vir doc-

1) Der Pithoean. Cod. pag. 21.
2) Der Echte und Unechte Iuv. p. 51.

tus verba non intellexit. Nam quum *spatium vitae* significet *longaevam vitam* ut patet ex versu 188 „da spatium vitae, multos da Iuppiter annos!", sequitur manifesto ut *extremum* referendum sit ad *munera Naturae*. Sensus igitur est: Fortis animus longaevam vitam minimum ducit Naturae donum.

Quoscunque *labores:* Non inmerito Rupertius pro *labores* substituere mavult *dolores;* nam eadem vox versu 361 occurrit. — Mendum ex oculorum aberratione videtur repetendum, aeque ac in Sat. XVI, 56, ubi idem Rupertius egregie restituit *favor*.

Saevosque labores: Hesiod. scut. Herc. 94: *χαλέπους ἀέθλους.* Cf. Verg. Aen. VIII, 291.

SATURA XI.

Vs. 8.

Scripturus *leges* et regia verba lanistae.

Heinrichius ad h. l. interpretatur: „scripturus *leges*, dictata, regulas artis gladiatoriae, quas lanista dictabat tironibus." Quod parum probabile est; nam lanista non est grammaticus; nec regulas artis *describendas dabat* sed potius *monstrabat*. Conf. Schol. ad Sat. VI, 249, 261 et 391; Sat. V, 122.

Praeterea quominus *leges* explicemus *dictata*, impediunt sequentia *regia verba*, quae procul dubio pertinent ad sacramentum, quo gladiatores se obstringebant. Senec. Ep. 37: „Illius turpissimi auctoramenti verba sunt: uri, vinciri ferroque necari. Ab illis, qui manus arenae locant et edunt et bibunt [1]), quae per sanguinem reddant, *cavetur* ut ista vel inviti patiantur."

1) Conferas vs. 20: sic veniunt ad miscellanea ludi.

Puto igitur cum Friedländero [1]) hic sermonem esse de contractu, quem futuri gladiatores cum lanista faciebant. Ita iam Scholiasta explicat: „se auctoraturus aut haec scribturus quae *iuris* et consuetudinis erant ab his describi, qui *accepto pretio* se in ludum distrahebant."

Vs. 14.

Interea gustus: Scholiasta habet: „hos gustus, *masculinum*." Legendum est *macelli* (vs. 10). Terminatio *num* orta esse videtur ex sequenti lemmate *numquam;* in cuius scholio pro „*intensiose* ea emunt" fortasse legendum est „*impensius* ea emunt." Cf. Schol. ad XII, 96.

Vs. 32—34.

Ancipitem seu tu magno discrimine causam
protegere adfectas, *te consule*, dic tibi qui sis,
orator vehemens, an Curtius et Matho buccae.

Te consule: non sunt ablativi, qui dicuntur, absoluti, ut Ribbeckius statuit [2]); sed *consule* est imperativus, ut vel ex sequenti verbo *dic* satis patet.

Ceterum idem vir doctus egregie docet versus 1—55 ab hoc illove poetastro esse conflatos.

Vs. 42—43.

Talibus *a dominis* post cuncta novissimus *exit*
anulus et digito mendicat Pollio nudo.

Non immerito Heinrichius offenditur constructione: „talibus *a dominis* exit." Minus feliciter coniecit legendum esse *a damnis;* nam ita verba sequentia *post cuncta*, prorsus otiosa sunt. Si tanti est, fortasse corrigendum est: *talibus e domibus*, i. e. e domibus talium comissatorum.

1) Friedl. l. l. t. II, pag. 239.
2) Der Echte u. Unechte Iuven. p. 93.

Vs. 57.

In scholio pro *sed ne* legendum videtur *necne.*

Vs. 64.

Fercula nunc audi nullis *ornata* macellis.

Pro *ornata* Schrader legi iussit: *portata;* Iacobs: *corrasa.* Propius autem ad vulgatae lectionis formam accedit Mansonis coniectura: *onerata.* Cui favere videntur hi loci:

Vergil. Georg. IV, 133: seraque revertens
nocte domum dapibus mensas *onerabat inemtis.*

Mart. IV Ep. 78: Auro non dapibus *oneratur* mensa.

Mart. I Ep. 56: Pinguis inaequales *onerat* cui villica mensas,
Et sua non emtus praeparat ova cinis.

Sed obstant: Martial. XII. Ep. 91:
Ad Palatinas acipensem mittite mensas,
ambrosias *ornent* munera rara dapes.

Senec. Ep. 95: multorum *ferculorum ornamenta.*

Varr. R. R. III, 9, 17: „gallinae in *ornatibus* publicis solent poni cum psittacis." Ambros. III, c. 11 „Exquisitis copiis *adornatum* convivium."

Rationibus igitur subductis, dubito an vulgata lectio sit retinenda, quum praesertim poeta *elegantiam* potius quam *abundantiam* coenae spectare videatur.

Vs. 70—72.

Grandia praeterea tortoque calentia faeno
ova adsunt ipsis cum matribus et seruatae
parte anni, quales fuerant in vitibus uvae.

Parte anni: tenuiter dictum esse puto. Nescio an audaciore coniectura legendum sit *pampineis* vel *purpureis*. Ovid. Metam. VIII, 678:

„Et de *purpureis* collectae vitibus uvae."

Vs. 79.

Ipse (Curius) focis brevibus *ponebat* holuscula.

Ponebat: Mallem scriptum esset *torrebat*. Cf. Plutarch. in vit. Caton. c. 2. Verbum *ponere* saepissime in hac Satura legitur vs. 18, 69, 76, 84, 109, 126, 158, 191, 192.

Vs. 99.

Tales ergo cibi, qualis *domus* atque supellex."

Iure Heinrichius hunc versum spurium habuit, et Iahnius uncinis inclusit. Nam non modo nihil nisi ineptam conclusionem continet, sed ne satis quidem convenit cum praecedentibus; in quibus nihil quidquam de *domo* antiquorum Romanorum dictum sit. Fortasse interpolator voluit *focus* (vs. 78).

Vs. 149—150.

Idem habitus *cunctis*, tonsi rectique capilli
adque hodie tantum propter convivia pexi.

Cunctis: parum aptum est; nam versu 152 *duo* tantum servoli memorari videntur. Quare potius legerim *cinctis*, vel, quod fortasse praestat, *cinctus*, ἀσυνδέτως praecedenti voci additum: cf. III, 162.

Vs. 175.

Qui Lacedaemonium pytismate lubricat orbem.

Recte scholiasta explicat: „qui exspuit supra marmor Lacedaemonium, quo stratum est pavimentum." Confer.

Vitruv. VII, 4, 5; Horat. L. II. Od. 14, 27; Petron. c. 28; Iuven. VI, 430. Minus recte Heinrichius monet Laconicum sive Taenaricum marmor *nigri* fuisse coloris; nam *viride* erat: Plin. H. N. XXXVI, c. 7 (Ed. Harduin. p. 733): „pretiosissimi quaedam (marmora) generis, sicut Lacedaemonicum *viride*, cunctisque hilarius."

Prudent. II in Symmach. vs. 247, 248:

Et quae saxa Paros secat et quae Punica rupes,
quae *viridis* Lacedaemon habet maculosaque Synnas.

Vs. 176—178.

Namque ibi fortunae veniam damus. alea turpis,
turpe et adulterium mediocribus; haec eadem illi
omnia cum faciunt, hilares nitidique vocantur.

Merito Ribbeckius [1]) hos versiculos poetae abiudicat; nam et forma eorum satis miserabilis est et sensus parum convenit cum sentiendi ratione nostri poetae; qui tantum abest ut nobilibus, vitiis se tradentibus, ignoscat, ut eos graviter castiget: VIII, 142 sqq.

Hi versus ab eadem manu profecti videntur, qua vs. 21 sqq.

Vs. 195—196.

Praeda caballorum praetor sedet ac, mihi pace
immensae nimiaeque licet si dicere plebis,
totam hodie Romam circus capit etc.

Nec minore iure Ribbeck. duos priores versus expunxit; nam offendunt non tantum ista verba „praeda caballorum", sed etiam veniam precandi formula „mihi pace etc.", hoc loco incommoda est et omni sensu vacua videtur, nam

1) Der Echte u. Unechte Iuv. pag. 115.

non est quod poeta veniam petat. Quis enim hoc dictum „totam hodie Romam circus capit", vitio ei verteret?

Vs. 208.

Voluptates commendat *rarior* usus.

Non est quod cum Ribbeckio e corrupto lemmate *parior*, elicias *parcior*. Nam tum ex ipsius scholiastae annotatione: „quidquid fit *rariter* magis delectat", tum e poetae verbis (vs. 206) „facere hoc non possis quinque diebus *continuis*", luculenter patet, ni fallor, vulgatam lectionem non esse sollicitandam.

SATURA XIII.

Vs. 1—2.

Exemplo quodcunque malo committitur, ipsi
displicet auctori.

Committitur ipsi: Schol.: „ita *male virtutem* esse ait, ut displiceat quod male committitur." Collata sequenti annotatione puto scribendum esse *malum crimen*.

Vs. 28—30.

Nunc aetas agitur, peioraque saecula ferri
temporibus, quorum sceleri non *invenit* ipsa
nomen et a nullo posuit natura metallo.

Nunc: Hanc lectionem, quam Cod. Pith. habet vitiosam esse satis certum videtur; nam ex sequentibus verbis *peioraque saecula*, quae per epexegesin adiciuntur, manifestum est hic requiri adiectivum, quo *indoles aetatis*, qua vivit poeta, accuratius definiatur. Nec meliora reliqui codices praestare videntur; alii habent *nona;* alii manifesto errore *nova;* Codex Thuan. habet *non alias*, quod probat

Boissonadius [1]). Heineckius coniecit: *non aetas agitur*. Malim *nulla aetas* [2]); ut poeta in antecessum significet aetatem ne nomine quidem dignam esse, prouti deinceps latius explicatur. — *Invenit* est perfectum, ut patet ex sequenti *posuit*, adeoque vitiosum. Ambigo utrum legendum sit *induit* an *indidit*, quod tamen praefero.

Vs. 38—41.

Quondam hoc indigenae vivebant more, priusquam
sumeret agrestem posito diademate falcem
Saturnus fugiens, tunc, cum virguncula Iuno
et *privatus* adhuc Idaeis Iuppiter antris.

Privatus: Heinrichius interpretatur: „nondum rex coeli factus." — Sed puer, qualis Iuppiter in Idaeis antris fuerit, non commode *privatus* dicitur. Unde iam antiquiores interpretes statuerunt hanc vocem in mendo iacere, ac proinde varias protulerunt coniecturas. Britannicus Italus legendum proposuit *primaevus;* Burmannus patruus coniecit *vagiret;* et Burmanno secundo non satis constitit utrum legendum esset *nutritus* an *lactatus*. Verum quae attulerunt Burmanni a vulgatae lectionis ductibus nimis recedunt, atque a contextu parum commendantur. Britannici autem coniectura primo obtutu admodum placet, et loco Claudiani (De IV Consulat. Honor. vs. 197) [3]) commendari videtur Nec tamen ea omni dubio maior est;

1) Boisson. ad Nicet. II, p. 320 sqq.
2) Nullus sum. Ter. And. 3, 4, 20. Cicer. Tusc. Disput. I, c. 6; c. 36.
3) Locus Claudiani de IV Consulat Honor. v. 197 sqq. sic sonat:

Talis ab Idaeis primaevus Iupiter antris
possessi stetit arce poli, famulosque recepit,
natura tradente, deos. Lanugine nondum
vernabant vultus, nec adhuc per colla fluebant
moturae convexa comae.

nam quum *primaevus* is dicatur, qui florem aetatis iam attigerit et iam ad pubertatem pervenerit [1]); *primaevus* Iuppiter non satis accurate respondet *virgunculae* Iunoni i. e. nondum nubili, nondum maturae. Quo accedit, quod Iuno, si mythographos audimus, Iove *maior natu* erat. Unde illa apud Ovidium (Fast. VI, 30) ita gloriatur:

Saturnum prima parentem
Feci. Saturni sors ego prima fui.

Inde igitur iure, ni fallor, efficitur ut Iuppiter, quamdiu in Idaeis antris commoraretur, nondum primaevus adolescens, sed puer fuerit. Nec obstat Claudiani locus; nam eo agitur de Iove *ab Idaeis antris*, i. e. postquam illa antra reliquit.

Quam ab causam potius crediderim poetae obversatos fuisse hos Apollonii Rhodii versus (Argon. I, 509):

ὄφρα Ζεὺς ἔτι κοῦρος, ἔτι φρεσὶ νήπια εἰδώς,
Δικταῖον ναίεσκεν ὑπὸ σπέος,

atque adeo pro *privatus* legendum esse *cirratus*, i. e. *cirros gestans.* Pueri autem nobiliores apud Romanos usque ad pubertatem comam alere et cirros gestare solebant; ut

---

1) Catull. LXIV, 402, 403:
Optavit genitor primaevi funera gnati,
Liber ut innuptae potiretur flore novercae.

Senec. Hippot. vs. 620:
Tu qui Iuventae flore primaevo viges,
Cives paterno fortis imperio rege.
Sinu receptam, supplicem, ac servam tege,
miserere viduae.

Vergil. Aen. VII, 162:
Ante urbem pueri et primaevo flore iuventus
Exercentur equis. Aen. IX, 545.

Sil. Ital. Punic. I, 376; X, 494.

patet ex Sat. I. Persii vs. 129, et inprimis Martialis I Ep. 32; IX Ep. 37; Senec. Hercul. Fur. 852; Sat. XV, 137.

Ceterum omnino conferendus est locus Saturae VI, 14, ubi haec leguntur:

Multa pudicitiae veteris vestigia forsan
aut aliqua exstiterint et sub Iove, sed Iove nondum
barbato.

Vs. 42—45.

Nulla super nubes convivia coelicolarum,
nec puer Iliacus, formosa nec Hectoris uxor
ad cyathos, et iam *siccato* nectare tergens
bracchia Vulcanus Liparaea nigra taberna.

Et iam siccato: Scholiasta adnotavit: „exsiccato, *feculento* aut *liquefacto.*" Ex quibus verbis iam Schurtzfleisch iure effecisse videtur Scholiastam in suo codice pro *siccato* legisse *saccato.* Quae lectio, ni fallor, huic loco, multo melius convenit quam vulgata. Nam quia Vulcanus hic cum Ganymede et Hebe coniungitur, contextus iubere videtur ut de *ministro* nec vero de *conviva* Vulcano cogitemus. Pincernae autem non est *siccare* vinum, sed potius *saccare*, i. e. per colum vel saccum liquare; quod etiam in ipsa coena fieri solebat: Confer. Horat. Lib. I. Od. 11, 6 ibique Nauckius.; Cicer. de Fin. Bon. et Mal. II. c. 8; Martial. II. Ep. 40; VIII. Ep. 45; XII. Ep. 61 et XIV. Ep. 102 et 103. Comica igitur vis in eo praecipue posita esse videtur, quod Vulcanus praepostere *post* saccatum vinum manus fuligine oblitas detersisse dicitur.

Vs. 49—50.

Nondum *aliquis* sortitus triste profundi
imperium aut Sicula torvus cum coniuge Pluton.

Aliquis: Iahnius legendum proposuit *alius.* Quae con-

iectura ni fallor valde probabilis est. Nam ubi de notissita persona agitur, in his carminibus adhiberi solet pronomen *alius;* ut patet ex Sat. I, 9:

Quid agant venti, quas torqueat umbras
Aeacus, unde *alius* furtivae devehat aurum
pelliculae.

Ex Sat. X, 256:

Haec eadem Peleus, raptum cum luget Achillem
adque *alius*, cui fas Ithacum lugere natantem.

Vs. 60—63.

Nunc si depositum non infitietur amicus,
si reddat veterem cum tota aerugine *follem*,
prodigiosa fides!

Ribbeckius [1]) vertit: wenn heut zu tage ein Freund ein anvertrautes Pfand nicht ableugnet, wenn er einen alten *Blasebalg*, den er geliehen, mit allen *Russ* zurückgiebt, so ist das eine unnatürliche Redlichkeit etc.

Sed *follem* hoc loco non magis quam Sat. XIV 281 significare *Blasebalg*, patet tum ex toto contextu, quo de *deposito* sermo est, tum inde quod *aerugo* non est *Russ* (fuligo), sed *Rost.* Aerugo [2]) enim metallis adhaeret, nec vero follibus, qui coriis conficiantur. Follis igitur hoc loco est *marsupium*, ut iam monuit Britannicus, provocans ad Apulei locum (Metam. IV) „Nummularius pannosus aliquis et sordidus aureos folles incubabat." Veget. de Re Mil. II. c. 20 „*decem folles* id est decem sacci (pecuniae)"; et Plaut. Aulul. II, 4, 23, ubi Gronovius consulendus est.

1) Der Echt. u. Unecht. Iuv. pag. 34.
2) Scholiasta h. l.: „aeris vitium aerugo dicitur, ferri rubigo."

Vs. 64—70.

Egregium sanctumque virum si cerno, bimembri
hoc monstrum puero vel *mirantis* sub aratro
piscibus inventis et fetae comparo mulae,
sollicitus, tamquam lapides effuderit imber
examenque apium longa consederit uva
culmine delubri, tamquam in mare fluxerit amnis
gurgitibus *miris* et lactis vertice torrens.

Mirantis: In aliis codicibus legitur *miranti*, in aliis *mirandis.* Sed utcunque scribitur, verbum *mirari* hoc loco Gatakero [1]) vehementer displicuit, qui propterea legi iussit *liranti iam.* Quam coniecturam praeclaram dixit Heineckius [2]). Heinrichius tamen vulgatam lectionem vindicare studens, contendit eam longe melius cum Iuvenalis dicendi ratione congruere, ac postquam monuit *mirationem* unam omnium affectionum frequentissime rebus inanimatis a poetis tribui (Verg. Aen. VIII, 91, 92; Ovid. Amor. II, 11, 1), affirmat audacter, totam rem confectam esse uno Vergiliano loco, qui legitur in Georg. IV, 81:

et ingens
exiit ad coelum ramis felicibus arbos
miraturque novas frondes et non sua poma.

At vero res nondum confecta videtur. Nam ea miratio ut in epicis et mythicis carminibus apte tribuatur rebus inanimatis, in saturico carmine idem, ni fallor, nullo modo ferri potest. Saturici enim poetae est hominum sensus, studia, vitam dicendo imitari, atque, ut ita dicam, ipsam naturam exprimere, non vero inanibus verbis et imagini-

1) Gataker. ad Antonin. VIII, 15, p. 243.
2) Heineck. Animadv. in Iuven. pag. 103.

bus ludere. Quod hoc loco maxime valet. Nam quum hic homo describatur qui subito conspectu monstri obstupuerit et summa sollicitudine correptus fere nesciat, quo se vertat, prorsus ineptus foret poeta, qui talem hominem poetica verba effutientem fecisset. Hoc enim a communi sensu plane abhorreret; quem si non sedulo observat saturicus et studiose sequitur, ridiculus fiat necesse est. Quam ob causam non dubitarem Gatakeri coniecturam ut veram recipere, nisi propius ad vulgatam lectionem accederet, quod conieci legendum esse, *rimantis* i. e. arantis. Confer Vergil. Georg. III, 534.

Ergo aegre rastris terram *rimantur*, et ipsis
unguibus infodiunt fruges, montesque per altos
contenta cervice trahunt stridentia plaustra.

Fortasse item in Schol. ad Sat. VI, 399 pro *imitari* restituendum est *rimari*, nisi malis *scitari* vel *scrutari*.

Vs. 67—70.

Sollicitus, tamquam lapides effuderit imber
examenque apium longa consederit uva
culmine delubri, tamquam in mare fluxerit amnis
gurgitibus *miris* et lactis vertice torrens.

Gurgitibus *miris:* Heinrichius ad h. l. interpretatur: *prodigiosis*, provocans ad illud Horatii (Ep. 16, 31) „mirus amor." Recte, procul dubio, quod ad Grammaticam attinet, sed parum recte quod ad contextum. Nam in *descriptione* monstri illud epitheton *mirum* nimis universe dicitur ac mirifice languet. Quam accurate autem monstrum describi oporteat, luculenter patet ex iis, quae proxime praecedunt: „tamquam examen apium longa consederit uva culmine delubri." In qua descriptione singula verba suam habent vim. Non immerito igitur in universali voce *miris*

offenderunt interpretes, eamque alii alio modo emendare conati sunt. Schraderus quidem legendum esse coniecit *niveis* vel *nigris;* Iacobsius voluit *rubris;* Porsonus *miniis.* Quae Porsoni coniectura ceteris palmam praeripere puto, quippe quae et ad vulgaris lectionis formam quam proxime accedat et sequenti voci *lactis* egregie opponatur. Praeterea etiam hoc ei favere videtur, quod in graviorum monstrorum descriptionibus fere numquam deesse solet *sanguis* vel sanguinis color, qui praecipue valeat ad horrorem incutiendum: Confer. Sil. Ital. Pun. VIII, 646:

atque *atro sanguine* flumen
manavit Iovis in templis.

Id. XIII. 566; Cic. de Divin. I. § 98 „quid? cum fluvius *atratus sanguine* fluxit?" Id. de Divin. II. § 58 „*sanguinem* pluisse senatui nuntiatum est; *atratum* etiam *fluvium* fluxisse *sanguine.*" Liv. XXIV, 44.

Vs. 71.

Intercepta decem quereris sestertia fraude
sacrilega?

Intercepta: quoniam de *deposito* sermo est, quod „numquam sospes erit," (vs. 178), malim legi *interversa:* Digest. XVI. T. 3. l. 22: „si duo heredes rem apud defunctum depositam *dolo interverterint*, quodam utique casu in partes tenebuntur. Nam si diviserint decem, quae apud defunctum deposita fuerant, et quina abstulerint, et uterque solvendo est, in partes obstricti erunt; nec enim amplius actoris interest. Quod si lancem conflaverint, aut conflari ab aliquo passi fuerint, aliave quae species dolo eorum *interversa* fuerit, in solidum conveniri poterunt, acsi ipsi servandam suscepissent."

Vs. 75.

In Scholio ad h. l. videtur esse legendum: „si hominis testimonium *desit.*"

Vs. 81.

pater Aegaei.

Nomen maris saepe absolute adhiberi tum apud Graecos, tum apud Latinos scriptores, notissimum: Confer. Vergil. Aen. XII, 366; Ovid. Fast. IV, 565; Propert. III, 11, 72 et III, 21, 19. Stat. Achill. I, 36.

Vs. 88.

Natura volvente vices *et* lucis *et* anni.

Et-et: Iteratio particulae significat cursum perpetuum, numquam intermissum. Cic. Cat. Mai. cap. 19, § 69: „Horae quidem cedunt et dies et menses et anni."

Vs. 91.

Hic putat esse deos et peierat, atque ita secum:
decernat quodcumque volet de corpore nostro
Isis et *irato* feriat mea lumina sistro,
dummodo vel caecus teneam, quos abnego, nummos.

Irato: Merito Ribbeckius [1]) hac voce offenditur; nam *iratum* sistrum valde absurdum est. Dubito utrum legendum sit *aerato* an *aurato*, i. e. aere vel auro obducto. Sat. VI, 48 „aurata iuvenca." Vergil. Aen. XI, 656 „aeratam quatiens securim." Id. Aen. XI, 858 „aurata pharetra."

Isidis enim sacerdotes aereis, argenteis et aureis sistris utebantur: Confer. Apulei. Metam. XI, p 261; Senec. de Vita Beat. cap. 27.

1) Der Echte u. Unechte Iuv. pag. 58.

Vs. 154.

Confer et artifices *mercatoremque* veneni.

Mercatorem: Rupertius: „non qui vendit sed emit venenum, ut eo aliquem necet." Sed propter praecedentem vocem *artifices*, malim intellegere *venditorem* veneni. Venditor veneni est *venenarius*, emptor autem (Sat. VIII, 17) est *veneficus* arctiore sensu. De discrimine utriusque vocis videatur Rein in opere Das Criminal Recht der Römer pag. 410.

Vs. 184.

Chrysippus non dicet idem nec mite Thaletis
ingenium dulcique senex vicinus Hymetto,
qui partem acceptae saeva inter vincla cicutae
accusatori nollet dare. Plurima felix
paulatim vitia atque errores exuit omnes,
prima docet rectum sapientia.

Interpunctio verborum, ni fallor, ita mutanda est, ut punctum finale ponatur post *omnes*. Nam *felix*, quod incommode refertur ad *sapientiam*, referendum est ad *senem vicinum Hymetto* (vs. 185). Sensus igitur est: Socrates felix est habendus, qui paulatim plurima vitia et omnes errores deposuerit.

Vs. 208—210.

Has patitur poenas peccandi *sola* voluntas.
Nam scelis intra se *tacitum* qui cogitat ullum,
facti crimen habet: cedo, si conata peregit?

Sola: In codice Pith. legitur *saeva;* in cod. olim Thuaneo *scaeva;* quam lectionem probat Boissonadius [1]). Sed vulgata

1) Boisson. ad Nicet. II, p. 179.

lectio retinenda est; nam significatur voluntas *etiam sine effectu;* ut patet ex versu 210 „cedo, si conata peregit."

Ceterum pro *tacitum* maluerim *tacitus*, ut Sat. IX, 94.

Vs. 211—216.

> Perpetua anxietas nec mensae tempore cessat.
> faucibus ut morbo siccis interque molares
> difficili crescente cibo, *Setina* misellus
> exspuit, Albani veteris pretiosa senectus
> displicet; ostendas *melius*, densissima ruga
> cogitur in frontem, velut acri ducta Falerno.

Setina: Sic Herelius egregia coniectura emendavit verba *sed vina.* — Nec est quod cum Heinrichio vel punctum temporis de plurali forma dubites, aut in auxilium voces *Caecuba* (Horat. II, Od. 14, 25; Serm. II, 8, 15) *Chia* (Horat. Epod. 9, 34) *Falerna* (Tibull. III, 6, 6), quum eadem forma apud Martialem exstet (IV Ep. 69):

> Tu *Setina* quidem semper vel Massica ponis
> Pamphile.

Ostendas melius: Melius vitiosum esse satis certum videtur. Nam melius Setino aut Albano vino nullum erat. Praeterea haec vox parum poetice ac nimis infinite dicitur. Nescio an fortasse legendum sit *mulsum.* Desideratur enim *dulcis potio*, quae opposita sit *acri Falerno.* Cicer. Tuscul. Disput. III. § 44 „Huic calix *mulsi* impingendus est, ut *plorare* desinat." Et § 46 „Eripiamus huic *aegritudinem.* Quo modo? Collocemus in culcita plumea; psaltriam adducamus; hedychrum incendamus [1]); scutellum *dulciculae*

1) Ita legendum videtur, cf. § 43 „incendes odores" et Tusc. Disp. V, § 32.

potionis; aliquid videamus et cibi. Haec tandem bona sunt, quibus aegritudines gravissimae detrahantur?"

Praestantissimum autem mulsum e Falerno vino et Attico melle conficiebatur: Confer. Mart. XIII, Ep. 108.

SATURA XIV.

Vs. 1—3.

> Plurima sunt, Fuscine, et fama digna sinistra
> et nitidis maculam *haesuram* figentia rebus,
> quae monstrant ipsi pueris traduntque parentes.

Haesuram: Haec lectio Cod. Pithoei vulgatae *et rugam* praeferenda est; quia *macula haesura* maiorem vim habet, significans maculam quae non amplius elui possit. Praeterea *ruga* minus recte opponitur *nitidis rebus*, quibus contrariae sunt *squalidae*, non vero *rugosae.* Cf. Sat. VII, 227; Petron. c. 102; Horat. Art. Poet. vs. 351, 352; Cicer. de Nat. D. I. c. 29.

Quod ad originem alterius lectionis attinet, Heinrichius sine ulla dubitatione eam tribuit „piis monachis," qui ex Epistola ad Ephes. V, 27 verba *ac* (vel *et*) *rugam* petiverint. Hoc tamen non ita confidenter affirmare ausim; nam in textu originali non legitur, ut Heinrichius refert: *τὴν ἐκκλησίαν μὴ ἔχουσαν σπῖλον καὶ ῥυτίδα*, sed *ἢ ῥυτίδα.* Eodemque modo versiones Latinae omnes habent *aut rugam.* Est parvum sane discrimen, sed satis magnum in parva dictione.

Vs. 10—11.

> Cum *septimus* annus
> Transierit puerum, nondum omni dente renato,
> barbatos licet admoveas cett.

De puerorum institutione incipienda Paulus Aeginetus

περὶ διαίτης νηπίων haec habet: *τοὺς νηπίους καὶ ἀπὸ γάλακτος γεγονότας ἐν ἀνέσει τ' ἐᾶν καὶ ἱλαρότητι, γυμνάσια δὲ καὶ τροφὰς αὐτοῖς προσφέρειν ἐλαφρῶς. ἀπὸ δὲ τῶν ἓξ καὶ ἕπτ' ἐτῶν τούς τε παῖδας καὶ τὰς κόρας γραμματισταῖς παραδοῦναι.* Vide Salmas. in Tertull. de Pall. Not. pag. 465.

Vs. 23—25.

Quid suadet juveni laetus stridore catenae,
quem mire adficiunt inscripta ergastula, carcer?
Rusticus expectas etc.

Post *carcer*, non post *rusticus* interrogandi signum ponendum esse, iam docuit Doederlein[1]). Textus tamen nondum sanatus est, nisi cum v. Herwerden viro cl. etiam post *inscripta* interpunxeris. Nam *inscripta ergastula* absurdum sensum praebent. Intellegenda sunt *stigmata*, quae fugitivorum frontibus inurebantur.

Vs. 38—39.

Huius enim vel
una potens ratio est etc.

Huius: i. e. *huius rei*, cf. Horat. Ars. Poet. vs. 324; Ovid. Met. I, 17; Livius I. c. 9. § 3; II. c. 47. § 12; VI. c. 30. § 3.

Vs. 44—45.

Nil dictu foedum visuque haec limina tangat,
intra quae pater *est.*

Intra quae: Scholiasta adnotavit: „ubi filios habes." Ex his verbis Cramerus effecit scholiastam in suo Codice habuisse: „intra quae pater *es.*" Quae coniectura mihi qui-

1) Doederlein, Aufs. u. Reden I, pag. 402 sqq.

dem non improbabilis videtur; nam ex sequentibus patet orationem ad patrem conversam esse.

Vs. 66.

et tamen uno
semodio scobis haec *emendat* servulus unus.

Emendat: Altera lectio *emundat*, quam probat Rupertius, in textum recepit Ribbeckius, vulgatae praeferenda videtur. Heinrichius tamen improbat pedestre istud ac prosaicum *emundat.* Quasi vero poetica hic desiderentur, ubi de stercore canino (vs. 64) aliisque quisquiliis sermo est. Confer etiam Scholiastam ad versum 61

Vs. 74—75.

Serpente ciconia *pullos*
nutrit et inventa per devia rura lacerta.

Pullos: Schrader ex Codice Perizonii legi iussit *nidos.* Sed etsi haec lectio doctior est, tamen non probanda videtur, quia mox (vs. 80) eadem vox adhibetur, eaque non metaphorica, sed *propria* significatione.

Vs. 105—106.

Sed pater in causa, cui septima quaeque fuit lux
ignava et partem vitae non attigit *ullam.*

An legendum est *illam*, id est septimam partem vitae? Confer Cicer. Tuscul. Disp. I. c. 39. § 93.

Vs. 124.

cogit minimas *ediscere* sordes.

An legendum *educere?*: Plaut. Stich. V, 5, 18. Amph. I, 1, 174. Sat. XV, 25 „temetum *duxerat.*" — aut *obducere?* Cic. Tuscul. Disp. I, c. 40. Petron. c. 42. — Pro *minimas*

sordes maluerim *summas sordes* vel *s. floces.* Cf. Aul. Gell. N. A. XI. c. 7.

Vs. 127—128.

Neque enim *omnia* sustinet unquam
mucida caerulei panis consumere frusta.

Omnia: Inanis est coniectura *non* quam ut genuinam lectionem Heinrichius ex scholio sibi elicuisse videtur. Verba enim scholii: „duo negativa confirmativum faciunt", pertinent ad versum 130 (*nec non*).

Vs. 219.

Cereris tangens aramque *pedemque.*

Pedemque: Pro hac voce restituendum esse puto *facemque*, cf. Sat. XV, 140.

Vs. 248—249.

sed *grave* tardas
expectare colus.

Pro *grave* legi maluerim *cave*, quod melius respondere videatur sequenti *morieris.* De constructione cum infinitivo cf. Madvig. Gr. Lat. § 400. De ultima syllaba verbi *cave* correpta cf. Horat. Sat. II, 3, 38; II, 5, 75; Ep. I, 13, 19.

Vs. 269.

Perditus ac vilis *sacci* mercator olentis.

Sacci: Legendum esse *succi* luce clarius est. Ita scholiasta iam legit, nam interpretatur: „*opobalsamum* aut *marabatrum.*"

Ceterum pro corruptis scholii verbis: „vel *ex sententia* halitu foetidae", legendum est: „vel *ex sentina* (aut *sentinae*) halitu foetidae."

Vs. 280.

Pro verbis scholii: „ad mare *mortuum*" puto scribendum: „ad mare *mediterraneum.*"

Vs. 297.

et zonam laeva *morsuque* tenebit.

Heinrichius coniecit *morsuve.* Sed vulgata longe maiorem vim habet. Respondet fere Belgicae dictioni „met hand en tand." — Conferendae sunt formulae „manibus pedibusque", „velis remisque."

Vs. 305.

In scholio ad h. l. pro *vicinis* videtur esse legendum *in vicis* vel *in viciniis;* cf. Suet. in v. Octav. c. 30.

Vs. 308.

Dolia nudi
non ardent cynici; si fregeris, altera fiet
cras domus, *adque* eadem plumbo commissa manebit.

Adque: Häckermann[1]) observat pro *adque* cum vulgaribus Codicibus legendum esse *aut,* quia *altera* non sit *eadem* domus. Nescio an vere.

SATURA XV.

Vs. 7—8.

Illic *aeluros*, hic piscem fluminis, illic
oppida tota canem venerantur, nemo *Dianam.*

Aeluros: In omnibus codicibus legitur *caeruleos:* quam lectionem Häckermannus probandam esse censet; ut *marini* pisces significentur atque fluvialibus opponantur. Sed vir doctus non audiendus videtur, quia aliunde non constat *marinos* pisces ab Aegyptiis cultos esse. Coniectura autem Brodaei *aeluros*, quam in textum receperunt Iahnius

1) Der Pithoean. Cod. pag. 13.

et Ribbeckius, non uno nomine se commendat. Primum enim de *aelurorum* sive *felium* apud Aegyptios cultu varia exstant testimonia: e. g. Ciceronis in Tuscul. Disp. V, § 78 „quorum (Aegyptiorum) imbutae mentes pravitatis erroribus, quamvis carnificinam prius subierint, quam ibim aut aspidem aut *felem* aut canem aut crocodilum violent." Conferantur etiam Cic. de Nat. Deor. I, c. 36 et c. 29. Herod. II, 63 aliique loci quos attulit Rupertius in Excursu ad h. l.

Tum vox minus solita facile a scribis librariis corrumpi potuit, et duobus aliis locis revera corrupta est. Quorum alter est Auli Gellii (Noct. Att. l. XX, c. 8); cuius corruptam lectionem *elivorum* Beroaldus sanavit legendo *aelurorum*. Alter locus est Hygini (Astron. l. II, c. 28), quem Flavius emendavit. Qui in Syllog. IIII retulit se ad hanc emendationem pervenisse, quum in quodam codice invenisset hanc adnotationem: „aelaro, Dianam aeluro simulatam." Quae adnotatio, etsi incertae originis, tamen alicuius est momenti [1]), non tantum quia recte consentire videtur cum iis quae Aulus Gellius l. l. de *συμπάθεια* Lunae (i. e. Dianae) et aeluri refert; sed etiam quia aliquid lucis affundit nomini *Dianae*, quod sequenti versu legimus.

Vs. 36.

Schol.: „quod illi alios deos colunt *vicini*." Legendum est *vicinis*.

Vs. 54—58.

Saevit nuda manus, paucae sine vulere malae,
vix cuiquam aut nulli *toto certamine* nasus
integer, aspiceres iam cuncta per agmina vultus
dimidios, alias facies etc.

1) Aul. Gell. XX, c. 8: „aelurorum quoque oculi ad easdem vices lunae aut ampliores fiunt aut minores."

Toto certamine: Pro his verbis, teste Pithoeo, in quibusdam libris scriptum erat: „*coeco* certamine." Quod probat Rupertius ut longe venustius. Sed nulla caussa est cur vulgatam lectionem mutes, quippe quae symmetria quadam, qua sequentibus verbis „*cuncta* per agmina" respondet, satis confirmari videatur. Nec venustatis venandae causa quidquam in hoc carmine mutandum est, in quo non pauca reperiantur, quae non tantum a pulchri venustique studio, sed etiam a communi sensu toto coelo aberrent: Confer. vs. 84 et loci ibi laudati.

Vs. 74.

Scholiasta ad lemma: „instaurare sagittis", adnotat *commoveri et a sagittas*." Corrigendum videtur: „*commovere etiam* sagittas."

Vs. 75—78.

Terga fuga celeri *praestant instantibus Ombis*
qui vicina colunt umbrosae Tentyra palmae.
labitur hinc quidam nimia formidine cursum
praecipitans, capiturque.

Praestant instantibus Ombis: Merito Iahn. recepit Merceri coniecturam, quam a contextu non tantum admitti, sed adeo postulari puto. Vulgatam enim lectionem: *praestantibus omnibus instant*, a qua Heinrichius recedere non audet, unicuique, qui paulo attentius verborum contextum inspexerit, vitiosam esse statim in oculos incurret. Primum enim, quum adverbium *hinc* (vs. 77), quod in hac quaestione maximi est momenti, referendum sit ad eos qui proximo versu nominati sunt, *Tentyrae incolas;* sequitur ut ille miles, qui nimia festinatione lapsus et ab hostibus captus esse dicitur, ex Tentyridis fugientibus fuerit; atque igitur verbum *instant* ad Tentyridas referri non possit.

Tum verba „terga praestantibus omnibus" propter *grammaticam formam* (abl. absol.) referri non possunt ad Tentyridas; et propter *significationem* non conveniunt victori populo. Inde igitur luculenter patet illa verba esse mendosa.

Tandem nomen *vincentis* populi commode abesse nequit.

Quae quum ita sint, non dubito quin Mercerus ex verbis corruptis, collato versu 35, antiquam manum egregie elicuerit.

Vs. 84.

Hic gaudere libet, quod non violaverit ignem,
quem summa coeli raptum de parte Prometheus
donavit terris. elemento gratulor et te
exultare reor. sed qui mordere cadaver
sustinuit, nil unquam hac carne libentius edit.

Orellius verba „elementa-reor" spuria habet. Cui tamen non assentior. Nam tota haec satura tantis ineptiis scatet et tot absurdis et putidis nugis oppleta est, ut nihil eiusmodi resecare ausim. Confer. vs. 44 sq., 65 sqq., 106, 110, 156 et tandem, ne alia indicem, inepta peroratio 171 sqq.

Vs. 98.

Verba scholii: „Vascones Saguntini *quorum dictum sit*, ut sit maior invidia *facti*", fortasse sic sunt refingenda: „Vascones Saguntini, *qui eo redacti sunt*, ut sit maior invidia *hosti*."

Vs. 124—126.

Qua nec terribiles Cimbri nec *Britones* unquam
Sauromataeque truces aut immanes Agathyrsi,
hac saevit rabie imbelle et inutile vulgus,
parvula *fictilibus* solitum dare vela *phaselis*
et brevibus pictae remis incumbere testae.

Britones: Markland [1]) legendum conjecit *Teutones*, quod Cimbri et Teutones semper coniungerentur. Quod recte negavit Heinrich., provocans ad Sat. VIII, 249. Britones tamen eosdem esse, quos Britannos (vs. 111), ut Heinr. confidenter affirmat, quis facile credat? Putaverim nomen esse corruptum, et e codice Perizonii recipiendum esse *Bistones;* ut intellegatur Thraciae populus, ferocitate et crudelitate famosissimus; cuius rex Diomedes ab Hercule occisus esse dicitur: Confer. Diod. Sicul. IV, 5; Herod. VII, 110; Lucan. VII, 569; Sil. Ital. Pun. II, 76; Pompon. Mel. 2, 2. Iuvenal. Sat. I, 53.

Fictilibus-phaselis: Schraderus coniecit *sutilibus phaselis.* Sed *fictilibus* recte se habet ac respondet voci *testae.* Praeter locos ab Heinrichio laudatos consulendi sunt versus Prudentii (II in Symm. 529, 530):

Institerant tenues cymbae *fragilesque phaseli*
inter turritas Memphitica rostra liburnas.

SATURA XVI.

Vs. 1—4.

Quis numerare queat felicis praemia, Galle,
militiae? *nam* si subeuntur prospera castra,
me pavidum excipiat tironem porta secundo
sidere plus *etenim* etc.

Nam-sidere: Ut omnis huius loci obscuritas tollatur legendum est per negativam interrogationem: „*Num-sidere?*" Attendas quaeso ad causalem particulam *etenim.* Eadem vocula *num* rescribenda videtur in Sat. I versu 30.

---

1) Ad Stat. Silv. III, 2, 38.

Vs. 4—6.

Plus etenim fati valet hora benigni,
quam si nos Veneris commendet epistola Marti
et *Samia* genetrix quae delectatur *harena.*

Samia-harena: Rupertius ad h. l. credit designari „terram Sami argillaceam, unde conficiebantur celeberrima illa vasa fictilia et testae, quae durissimae erant et ad secandum quoque adhibebantur." Sed haec longius petita sunt et inepta videntur. Cogitandum potius de Samo terrae motu vastata. Confer. Tertull. de Pall. cap. 2. „Mutat et nunc localiter habitus, cum situs laeditur: cum inter insulas *nulla iam Delos*, *harenae Samos*, et Sibylla non mendax." Ubi Salmasius acute vidit Tertullianum respexisse ad hunc Sibyllini oraculi versum:

καὶ Δῆλος ἄδηλος,
καὶ ψάμμαθος Σάμος ἐστίν.

Vs. 20—22.

Tota cohors tamen est inimica, omnesque manipli
consensu magno efficiunt, *curabilis* ut sit
vindicta et gravior quam iniuria.

Curabilis: Scholiasta interpretatur: „ut satis cures, quemadmodum effugias illos." Sed talem huius adiectivi significationem Latina lingua non permittit. Adiectiva enim desinentia in *ilis* et *bilis* significant aliquid *posse* fieri: Confer Zumpt. L. Gr. § 249. Cramer [1]) scribit: „Erat, missa insolenti voce *curabilis*, cum legerem *durabilis*. Praeferrem nunc *plorabilis*, si verum est nonnullos ita habere Codices." Maluerim *miserabilis* (Sat. II, 18; Sat. XV, 97

1) In D. Iun. Iuv. Satir. Commentariis vetustis, pag. 561.

et 101), aut *mirabilis*, i. e. vindicta quae miserationem aut mirationem movere possit.

Vs. 23.

Schol.: „ignavus de *mulino*." Legas, si tanti est, *mulione*.

EPILOGUS.

Haec quidem habui quae de Iuvenaleis carminibus scriberem. Quae si tibi, Lector Benevole, non prorsus displicuerint, mihi gratulabor et curabo ut aliquando, si tempus et occasio contigerit, plura huius generis atque, ut spero, certiora in medium afferam.

THESES.

I.

Iuvenalis carmina non spirant impurum animum.

II.

Corruptela, quae textum nostri poetae invasit, non tribuenda est monachis medii aevi sed antiquis grammaticis.

III.

Non multum operae ponendum est in ineptis scriptoribus emendandis.

IV.

Equites iam ante Legem Rosciam Theatralem peculiarem in theatro locum occuparunt.

V.

A Dictatore rei gerundae numquam provocationem ad populum fuisse puto.

VI.

Stoica ratio omnium maxime Romanorum ingenio congruit.

VII.

Iuv. Sat. VI, 170, 171:

Tolle tuum, precor, Hannibalem *victumque* Syphacem
in castris.

Pro *victumque* legendum est *vinctumque.*

VIII.

Id. Sat. VII, 111 sqq.:

Tunc inmensa cavi spirant mendacia folles
conspuiturque sinus; veram depraendere *messem*
si libet, hinc centum patrimonia causidicorum
parte alia *solum* russati pone Lacertae.

Legendum est *massam* et *follem* vel *zonam.*

IX.

Vergil Aen. XI, 567:

Non illum tectis *ullae*, non moenibus urbes
accepere.

Scribendum puto *villae.*

X.

Cic., de Divin II. c. 13. § 30: O mortalem beatum! cui certo scio *ludum* numquam defuisse.

Rescribendum est *lucrum.*

XI.

Tacit. Ann. IV. c. 70: Et trahebatur damnatus, quantum obducta veste et adstrictis faucibus niti poterat clamitans sic inchoari annum, *has Seiano* victimas cadere.

Scribendum coniicio: *hasce Iano.*

XII.

Vellei. Paterc. II. c. 107: Cum citeriorem ripam praedicti fluminis castris occupassemus, et ulterior armata hostium iuventute fulgeret, *sub omnem* motumque nostrarum navium protinus refugientium, unus e barbaris ... processit.

Scribendum est *sub sonum.*

XIII.

Sophocl. Aiac. 110:

μάστιγι πρῶτον νῶτα Φοινιχθεὶς θάνῃ.

Pro *θάνῃ* legendum est *δαρῇ.*

XIV.

Stob. Florileg. LXVIII, 1:

Ὅστις γαμεῖν βουλεύετ' οὐ βουλεύεται
[ὀρθῶς διότι βουλεύεται χοὔτω γαμεῖ]
πολλῶν κακῶν γάρ ἐστιν ἀρχὴ τῷ βίῳ.

Versum uncis inclusum spurium habeo.

XV.

Facio cum Viro Consultissimo Groen van Prinsterer, de Iconoclastarum turbis haec scribente: „Peut-être en quelques endroits on excita le peuple; mais en général ce fût un mouvement spontané et une consequence necessaire de la situation des esprits. Dans de pareils moments une étincelle suffit." Archiv. de la Maison d'Orange, T. II. p. 219.